

62364.

**PROLEGOMENA AD RES  
AETHIOPICARUM,**

**QUIBUS MYTHICA ARGOLIDIS HISTO-  
RIAE PRIMORDIA BREVITER ADUM-  
BRANTUR.**

\*\*\*\*\*  
**DISSERTATIO INAUGURALIS  
HISTORICA**

QUAM

**VENIA ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI  
PHILOSOPHORUM ORDINIS**

IN

**CAESARĒA LITTERARUM UNIVERSITATE  
DORPATENSI**

**PRO GRADU**

**DOCTORIS PHILOSOPHIAE**

**RITE IMPETRANDO**

**CONSCRIPSIT ATQUE LOCO CONSUETO  
PUBLICĒ DEFENDET**

**Michael Luninus,**


**DORPATENSIS.**

---

**DORPATI LIVONORUM,**

**TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.**

**MDCCCXXXII.**



1833

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, quinque exemplaria collegio, cui librorum exploratio mandata est, tradantur.

Dorpati d. 13. Novembr. 1832.

Dr. Blum,  
Decanus.

PROOEMIUM.

§. 1.

In Peloponneso septentrionali prope oram maritimam ab Araxo inde promontorio usque ad Sicyonensium civitatis fines angustus terrae tractus excurrit, interclusus meridiem versus partim a Lariso flumine, partim ab horridis atque incultis Erymanthi ac Cyllenae jugis; Boream versus autem partim ab Ionico mari, partim a sinu Corinthiaco. Quinam fuerint incolae hujus regionis antiquissimis Graecae historiae temporibus, nulla jam idonea ratione concludi atque intelligi potest: res quidem et ad disserendum aptissima, et, ut accuratius exquiratur atque illustretur, haud indigna; propter suam vero naturam perardua ac perdifficilis, quum, quia scripta rerum monumenta servata sunt fere nulla, omnino neque certa argumenta depromi, nec propter magnum, quod

interjacet temporis spatium, illa, quae ex conjectura sint capessenda ad perspicuitatem adduci possint.

## §. 2.

Sed illam regionem ante aduentum Achaeorum jam saepenumero incolas commutasse, et in universum notissimum est, et alio loco majorem inquirendi atque demonstrandi materiam nobis suppeditabit. Ex omni vero, quae nobis occurrit, explicandarum ac pertractandarum rerum copia, tantum sumendum in hoc prooemio arbitramur, quantum ad summariam propositi nostri cognitionem sufficiet. Monent enim ad brevitatem et angustiores, quibus circumscriptum est, quod scribere suscepimus, opusculum, fines et praefinitum temporis spatium.

## §. 3.

Stirps vero Achaeorum, quae post varias migrationes Argolidem denique atque Laeoniam occupaverat, ibidem confirmato imperio per longam annorum seriem praevaluit. Mox autem irruentibus undique in Peloponnesum Doriensibus magna ex parte ex illis regionibus pulsus, ad sedes pristinas derelinquendas, coacti sunt; quumque ita consilii inopes animique anxii, quo sese converterent, premerentur, caduceatorem denique ad Jones Aegialenses misere, qui ab iis poteret, ut jus iis atque regi

eorum Tisameno <sup>1)</sup> incolendi armis non collatis concederetur. Sed Jonum reges minime hoc Achaeis concedendum rati sunt; postquam vero ad arma ventum erat Achaei brevi universam Aegialensium ditionem in potestatem suam redegerunt; Jones vero ita ex sedibus suis pulsus ad Jones Atticos consanguinitate sibi junctos confugisse dicuntur <sup>2)</sup>. Jonum autem Aegialensium regio in duodecim erat descripta civitates, quarum illustrissimam ac munitissimam Helicen fuisse, traditum est: quibus omnibus, Jonibus profectis, occupatis, Achaei terram eorum sorte inter sese divisisse perhibentur <sup>3)</sup>.

## §. 4.

Sed post illius regionis occupationem nulla fere mentio fit Achaeorum in historia usque ad bellum Peloponnesiacum: inertia quasi ac torpore quodam capti, prorsus paene ex memoria Graeciae populorum evanuisse videntur: neque hoc satis mirari possumus, quando re-

- 1) Qui a Strabone VIII. p. 389. Ἀχαιὸς οἰκιστὴς appellatur.
- 2) Pausan. VII. 1. Strab. VIII. p. 383. Polyb. II. 41. cf. Herod. I. 145. Petav. Ration. Temp. lib. I. cap. 12. p. 58.
- 3) Theoph. Siegfr. Bayeri Fasti Achaici illustr. in Comm. Acad. Sc. Petropol. Tom. V. p. 382.

putemus nobiscum, quantum decus, quam eximia gloria, quantaque nominis denique celebritas Achaeis ex communi contra Trojanos expeditione contigisset. Neque enim posterioribus temporibus victoriae apud Marathonem reportatae affuerunt, neque cum Leonida atque cum Lacedaemoniis ad Thermopylas Persis restiterunt, neque Themistoeli atque Atheniensibus ad Artemisium ac Salaminem dimicantibus auxilium tulerunt.

## §. 5.

Quod si causas investigemus, cur maximis rebus, quae a Graeciae populis umquam communiter gestae fuerint, Achaei omnino non interfuerint, illas primum ex hisce brevissimis Pausaniae verbis, quae libro septimo Graeciae descriptionis hanc in modum retulit, satis perspicere licet <sup>1)</sup>: δοκεῖ δέ μοι, ἐς πατρίδας τε ὑπολειφθέντες ἕκαστοι τὰς αὐτῶν ἔσωζον, καὶ ἄμα διὰ τὸ ἔργον τὸ πρὸς Τροίαν Λακεδαιμονίους Δωριεῖς ἀπηξίουσθιςιν ἠγεῖσθαι. ἐδήλωσαν δὲ καὶ ἀνὰ χρόνον Λακεδαιμονίων γὰρ ἐς τὸν πρὸς Ἀθηναίους πόλεμον καταστάντων ὕστερον, ἐς τὴν συμμαχίαν ἦσαν οἱ Ἀχαιοὶ πρόθυμοι Πατριῶσι, καὶ ἐς τοὺς Ἀθηναίους οὐχ ἦσαν εἴχον γνώμης <sup>2)</sup>.

1) VII. 6. §. 5.

2) Cf. Thucyd. I. 111. II. 83. 84.

Quum enim Trojani belli temporibus inter omnes Graeciae populos principatum tenerent Achaei, Dorici nominis fama adhuc fere nulla erat: qua de causa inveteratum illud odium, quod Achaei inde ab illo, quo ex Argolide atque Laconica pulsi erant, temporis momento erga Dorienses conceperant, belli Peloponnesiaci aetate nondum evanuit neque umquam, quantum ex historiae annalibus conjicere nobis concessum est, ad ultimum usque Achaici nominis diem prorsus exstinctum est.

## §. 6.

Accedit autem altera etiam desidia illius atque segnitiei explicandae ratio. Nihil enim Achaei istis temporibus fecerunt sive ad res suas amplificandas seu ad majorem sibi gloriam comparandam partim quia dux ipsis deerat, qui par consilis illis esset, partim vero propter infirmitatem ac tenuitatem reipublicae suae: id, quod etiam Polybius indicare videtur, ubi de posterioribus temporibus loquitur I. II. <sup>2)</sup> „ἀποτέλεσμα δὲ ἢ πρᾶξις ἀξιόλογος πρὸς τὴν αὐξήσειν τῶν ἰδίων ἀνήκουσα πραγμάτων, οὐκ ἐγένετο τῷ μὴ δύνασθαι Φῶναι προστάτην ἄξιον τῆς προαιρέσεως, αἰεὶ δὲ τὸν ὑπο-

1) Cf. etiam Strab. VIII. p. 383. Müller's Dorier I. p. 195.

2) II., 39.

δείξαντα ποτὲ μὲν ὑπὸ τῆς Λακεδαιμονίων ἀρχῆς ἐπισκοπεῖσθαι καὶ κωλύεσθαι, ποτὲ δὲ μᾶλλον ὑπὸ τῆς Μακεδόνων.“ Sed quaerenda esse videtur praecipua tenuitatis atque impotentiae Achaeorum causa partim in Doriensium illo principatu, quem per longissimum temporis intervallum Spartanorum republica in Peloponneso tenuit, partim in Corinthi, opulentissimae, atque ad commercium optimis portibus instructae urbis vicinia; partim denique in ipsa soli Achaici natura, quam brevissime ita explicat Plutarchus 1): „Μικροπολίται γὰρ ἦσαν οἱ πολλοὶ καὶ γῆν οὔτε χρηστὴν οὔτ' ἀφθονον ἐκέκτηντο καὶ θαλάττη προσώκουν ἀλιμένω, τὰ πολλὰ πατὰ βραχίας ἐκφερομένη τρὸς τὴν ἤπειρον 2).“

## §. 7.

Conflato autem bello illo, quod de Graeciae principatu gesserunt Athenienses cum Lacedaemoniis, Patrensibus auxilium tulisse, atque Atheniensium, in quos semper propensiore erant animo partes secuti esse perhibentur Aethaei 3).

Neque etiam illis, quae deinceps apud Graecos gesta fuerunt, prorsus defuerunt. Nam, ut hoc solo utamur exemplo, ad Chaeroneam contra Philippi usurpatum imperium cum ce-

1) Arat. cap. 9.

2) cf. et Strab. VIII. p. 386, 387.

3) Paus. VII., 6. §. 3, 4. cf. Thucyd. II. II.

teris Graecis, pro aris et focis dimicantibus, in acie constiterunt. Nec repugnant his, quae postea consecuta sunt 1).

## §. 8.

Sed illis temporibus, quibus plurima usae sunt pace et quiete domestica Achaeorum civitates, nec fere unquam saluberrimum illud otium aut bellis externis, aut intestinis turbis concussum esset atque commotum, orta sunt ea republicae Achaeorum instituta, quibus posterioribus aetatibus tantum valuerunt Aethaei apud ceteras Graeciae civitates. Brevi enim post bellum Peloponnesiacum finitum, postque eversum Thebanorum principatum bellis civilibus fracta ac debilitata, tum etiam externorum regum machinationibus atque artibus dilacerata Graecia communi Macedonum sociorumque eorum phalangi resistendo nequaquam par erat. Quum enim Graeciae civitates dolosis fraudibus et largitionibus regum Macedoniae implicatae atque illaqueatae quasi nihil in commune inter sese consuluissent, mox unaquaeque fere Graeciae urbs Macedonicis impleta est praesidiis ac satellitibus. Quo enim tandem contenderat celebrata illa libertas Graeci nominis? quo tan-

1) Paus. I. I.

dem probitas illa atque morum integritas patriaeque amor? quo denique prudentia atque juris aequabilitas et comitas? Quid multa? Deseruisse Graeciam omnes, quibus homines inelarescunt, virtutes videbantur. Brevi etiam, cum nihil communiter gereretur ad retinendam libertatem, tyranni, adjuti opibus atque auxiliis Macedoniae regum, in singulis civitatibus exorti sunt, summaque rerumpublicarum negotia soli tenebant.

Attamen non prorsus extincta erat memoria atque recordatio gloriae majorum: neque penitus destituerat solum Graeciae aequitatis ac libertatis studium: confugit enim modo huc modo illuc: sed usnequaque vel hominum malitia atque vitiis repudiatum atque pulsum, vel etiam Macedonum dolosis artificiis conturbatum atque constrictum, postremo denique deversorium quoddam atque asylum in Achajae civitatibus reperisse, ibique sedem suam ac domicilium quasi constituisse videtur.

§. 9.

Sed mirabiliter apud veteres excelluerunt Achaei et reipublicae forma, et concordia atque unanimitate socialis foederis, et probitate denique atque constantia patriaeque studio: quibus omnibus rebus maxime contineri reipublicam, nemo est qui neget. Quamobrem

nequaquam mirandum putamus, si veteres auctores, imprimis vero Polybius, quique eum praecipue secuti sunt, rerum scriptores, Achaeorum instituta, tamquam concordiae atque libertatis fundamenta, summis laudibus praedicare soleant <sup>1)</sup>.

Quanta vero gloria ac celebritas, quanta dignitas atque auctoritas domi forisque eadem ex re Achaeorum civitatibus nata sit, ex nonnullis, quae idem Polybius attulit exemplis optime intelligi potest.

Incensis enim Pythagoreorum collegiis, gravissimisque haud multo post in Italiae inferioris civitatibus exortis turbis ac seditionibus; caedibusque ac flagitiis omnes Graeciae originis urbes complentibus, factum denique est, ut omnes Graeciae respublicae legatos suos ad componendas inimicitias eo mittere instituerint: sed neglectis ceteris, Achaeorum tantum prudentia atque consiliis uti pro rato habuerunt. Quamobrem hortati se invicem, icto concordiae foedere (*συμφρονήσαντες*), Crotoniatae, Sybaritae, Cauloniatae Jovi primum Homorio communem aedem (*Διὸς Ὁμορίου κοινὸν ἱερόν*) exaedi-

---

1) Polib. II., 38. 39. 42. VI., 1 et saepius alibi.  
cf. Strab. VIII. p. 384. Justin. Hist. XXXIV.,  
1 sq.

ficasse, et locum, in quo et conventus agerentur communes, et publica consilia haberentur, consecrasse; deinde vero etiam reipublicae formam Achaeorum imitari, et consuetudines lo-gesque eorum, quibus in republica administranda uterentur, ut apud se ratae fierent, decrevisse dicuntur <sup>1)</sup>). Similiter etiam posterioribus

1) Polib. II., 39. Strab. VIII. p. 384. Haud supervacaneum fore putamus, si breviter hunc Polybii locum collustremus. Secundum Porphyrium (de Vita Pythag. sect. 54) tanta fuit admiratio tantaque auctoritas Pythagorae ejusque amicorum in Italia, ut singulae civitates discipulis ejus ac familiaribus republicas suas regendas commiserint (*ὥστε καὶ τὰς πολιτείας τοῖς ἀπ' αὐτοῦ ἐπιτρέπειν τὰς πόλεις*). Sed et natura horum collegiorum, et causae eorum interitus summis obductae sunt tenebris. Nam Jamblichō (De Pythagor. Vita Cap. 35 sect. 3/8 seq.) et Porphyrio (de V. P. sect. 54 seqq.) auctoribus, Pythagoras ejusque discipuli, cum jam ad magnum gloriae atque honorum gradum pervenissent, invidia tandem civium laborare coeperunt. Quare mox a Cylone, nobili quodam Crotoniata, et opibus atque amicorum copia facile totius civitatis principe, moribus vero asperis et tyrannico ingenio, Pythagoraeque intestissimo; quippe qui, cum particeps fieri vellet Pythagoricae philosophiae propter morum pravitatem notamque domi-

temporibus post cladem illam, quam apud Leuc-tram acceperunt Lacedaemonii, cum ingens

---

nandi cupidinem spretus esset a Pythagora, conjuratione inita, congregati in Milonis athletae aedibus, omnes subjecto igne a Cylonis amicis partim exusti, partim vero fugam petentes lapidibus obruti, interierunt, duobus tantum ex incendio elapsis, Archippo et Ly-side (pro Archippo Plutarchus de Socrat. Genio p. 583 A. ponit Philolaum. Cf. etiam notas in Porphyr. C. Rittershusii p. 254 seq. *Κυλών* Diogeni Laërtio appellatur *Κυδών*, VIII., 49.) Sed ex eo, quem supra attulimus Polybii loco (II., 39.) facile colligere possumus, Cylonio isto scelere summos rerum motus gravissimasque seditiones in universa Magna Graecia commota esse. Pythagorae enim discipuli, cum jam numerus eorum magis accrevisset, foedus quoddam clandestinum, sodalitiū juris sacramento conjunctum constituisse videntur, cujus membra per totam Italiam inferiorem dispersa, cum prae ceteris civibus majori pol-lerent et vitae disciplina et rerum humanarum divinarumque cognitione et morum denique integritate, mox summam auctoritatem in hominum animos exercere coeperunt; tum vero ad republicas administrandas accessit, singulis civitatibus separata collegia (*συνέδρια*) constituebant: quorum praecepta atque instituta similitudinem quandam praebere possunt

exorta esset rerum perturbatio in universa fere Graecia, Lacedaemoniis sociisque eorum

cum isto religioso Ordine, qui recentioribus temporibus tantam exhibuit vim atque auctoritatem in singulis regnis atque imperiis, ut vel hodie ratio ac forma, quibus adhuc nonnullae Europae civitates in rebus publicis administrandis utuntur, priscam illam sanctorum Fratrum potentiam redolere videantur. Nam et naturam collegiorum illorum religioso-politicam, et formam clandestinam atque reconditam fuisse, ex veterum testimoniis conjicere licet. Plura Pythagorae collegia, neque unum tantum, quod Crotone floruit, cremata fuisse, atque omnino per cunctas Magnae Graeciae civitates graves Pythagoreorum persecutiones fuisse suscitatas, praeter Polybium tradidit etiam Dicaearchus (ap. Porphyrium sect. 56), qui plerosque per singulas civitates interemptos esse retulit. (cf. Schweighäuser. ad Polyb. II, 39). Neque eversionem illam atque incendium a singulo homine propter privatam quandam inimicitiam, sed publico civitatum consilio suscepta fuisse, nobis quidem probabile videtur, quippe cum, auctore Trogo Pompejo (Justin. Hist. XX, 4) separatam a ceteris civibus vitam exercerent, et quasi coetum clandestinae conjurationis haberent, animos eorum in sese converterint. (cf. et. Plutarch. de Stoicor. reppu. p. 1051. c.).

victos se esse negantibus, et Thebanis iisque quae cum illis conjunctae erant civitatibus, vicisse se non credentibus, uterque denique populus contentionis arbitrium solis permisit Achaeis.

## §. 10.

## Mythica Argolidis historiae primordia.

Πρῶτον μὲν γὰρ (οἱ Πελασγοὶ) περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαικὸν Ἄργος ᾤκησαν αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι. τὴν δὲ ἐπικωνίαν ἔλαβον ἐξ ἀρχῆς ταύτην, ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως. ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς, ὡς λέγεται, καὶ Νιόβης τοῦ Φορωνέως, ἢ πρώτη γυναικὶ θνητῇ μίσγεται ὁ Ζεὺς, ὡς ὁ μῦθος ἔχει. ἐκτὴ δὲ ὕστερον γενεᾷ Πελοπόννησον ἐκλιπόντες, εἰς τὴν τότε μὲν Αἰμονίαν, νῦν δὲ Θεσσαλίαν ὀνομαζομένην, μετανίστηταν. ἠγούντο δὲ τῆς ἀποικίας Ἀχαιὸς, καὶ Φθίος καὶ Πελασγὸς, οἱ Λαρίσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱοὶ. ἀφικόμενοι δ' εἰς τὴν Αἰμονίαν, τοὺς τε κατοικοῦντας ἐν αὐτῇ βαρβάρους ἐξελαύνουσι, καὶ νέμονται τὴν χώραν τριχῆς τοῖς ἡγεμόσι ποιήσαντες ὀμονύμους τὰς χώρας, Φθιωτῶν, καὶ Ἀχαιῶν καὶ Πελασγιῶν <sup>1</sup>).

In hoc quidem Dionysii Halic. loco, quem

1) Dionys. Hal. A. R. I. 17. cf. Schol. ad Apollon. Rh. I. 580.

integrum referre nobis placuit, antiquissima, si ad temporum rationem spectemus, Achaici nominis vestigia conspicimus. Tres duces, Achaeus, Phthius et Pelasgus, qui Larissae ac Neptuni filii perhibentur, Pelasgicam coloniam in Thessaliam deducunt. Quae tamen ducum nomina omnino recentiorum Graeculorum commentum redolere, atque multo post eam aetatem, cum jam Achaei Phthiotae magnum potentiae ac floris gradum in Peloponneso ac Thessalia assecuti essent, antiquissimae illius coloniae ducibus a genealogiarum sarcinatoribus adscripta esse videntur. Quod etiam illa, quam Eusthatius <sup>1)</sup> secutus est, auctoritate confirmatur: nam Scholiastes, quem modo laudavimus Pelasgo, Achaeo et Phthio Thessalicam originem vindicare studet: filios enim eos fuisse Larissae atque Aemonis, Aegonis filii, Thessali nepotis, refert.

§. 11.

Colonia autem illa, quam Achaeus, Phthius et Pelasgus in Thessaliam duxisse feruntur, secunda fuit Pelasgici nominis, quae ex Peloponneso eodem profecta sit, si iis, quae sequuntur fidem tribuere velis. Prima enim

1) Ad Il. II. 685.

deducta erat, auctore Batone Sinopensi a Pelasgo in Haemonism seu Thessaliam sex hominum aetatibus ante illam <sup>1)</sup>.

Fuit quidem Pelasgus hic secundum veterum auctoritatem idem, atque ille, qui viginti circiter annis ante illam primam in Thessaliam coloniam deductam, ex Argolide profectus, Arcadiae regno potitus est, a quo regio illa Pelasgis appellata esse dicitur, cum ante id temporis momentum Drymodes, propter silvarum copiam vocaretur <sup>2)</sup>.

Deducta autem erat haec prima in Arcadium colonia secundum Larcherum anno millesimo octingentesimo nonagesimo sexto <sup>3)</sup>, etiamsi idem auctor nescio quo jure alio loco huic emigrationi annum assignat millesimum nonagesimum quartum <sup>4)</sup>. Raoul-Rochettius vero <sup>5)</sup> primam hanc Pelasgorum in Arcadium

1) Βάτων ὁ Σινωπεὺς ὁ ῥήτωρ ἐν τῇ περὶ Θεσσαλίας καὶ Αἰμονίας ap. Athen. Deipnos. XIV. p. 639. cf. Solin Polyh. cap. 14. Raoul-Roch. Hist. de l'établ. des colonies Gr. I. p. 163. Clavier Hist. d. premiers tems de la Grèce I. p. 60.

2) Plin. H. N. IV., 10.

3) Larch. Chron. d'Hérod. p. 218.

4) Id. p. 566.

5) Tom. I. p. 169 sq.

coloniam omnino fabularum loco habendam esse putat, cum et ex iis, quae Bato Sinopensis solus retulit, neque de veritate illius argumenti aliquid afferri atque affirmari, neque ratio ulla temporum certior atque accuratior constitui possit, et ea, quae Scholiastes Euripidis <sup>1)</sup> commemoravit, Arcadici regni exordia temporibus multo recentioribus admovere nos jubent.

Primam autem Pelasgicam coloniam, quae in Haemoniam ducta erat a Pelasgo, Larcherus ad annum retrudit millesimum octingentesimum octogesimum tertium <sup>2)</sup>.

§. 12.

Venerat autem eodem, quia ab incola quodam Thessaliae, ex quo aquas Penei magno terrae motu ad mare esse defusas, fertilissimamque planitiem relictam perceperat, invitatus esse dicitur <sup>3)</sup>.

Prima autem haec Pelasgorum, colonia to-

1) Ad Orest. v. 1247.

2) Chr. d'Hér. p. 220 et 567.

3) καὶ τὴν πρότερον λιμέναζουσαν χώραν ἄπιστον, γε-  
γυμνωσθαι, — πεδία θαυμαστά τῷ μεγέθει καὶ  
τῷ κάλλει ἀναφαίνεσθαι. Athen. l. i. cf. etiam  
Clarke's Travels T. VII., p. p. 357. Dodwell's  
Class. and top. Tour, II. p. 106 seq.

tam Haemoniae regionem, quae inter Peneum fluvium atque Olympum montem sita est, i. e., quae postea Pelasgiotis nuncupata est, inque tres partes erat divisa, Pelasgiotidem proprie ita dictam, vallem Tempe et Perrhaebiam, occupasse videtur: etiamsi posteriori aetate, auctore Hieronymo <sup>1)</sup> universa campestris Thessaliae ac Magnesiaec regio a Pelasgis habitata fuerit, quos Lapithae in Aetoliam expulerint <sup>2)</sup>.

Clavierus autem <sup>3)</sup> priorem illum Pelasgum, quo regnante prurptionem Ossae atque Olympi montium magno terrae motu evenisse, a Batone traditur, temporibus multo recentioribus, quam Larcherus ac Raoul-Rochettius, vindicare, ac loco Batonis Sinopensis alium omnino sensum suggerere studet: qua ex causa doctissimos viros quos modo laudavimus, errore versari proficitur. Sed errare ipse nobis videtur vir eruditissimus has praesertim ob causas.

1) ap. Strab. IX. p. 443.

2) Larcher. l. l. Totam etiam Tessaliam Pelasgiam appellatam fuisse, refert Schol. ad Apoll. Rhod. I., 580. cf. et. Schol. ad Lycophr. v. 840. Apollod. Bibl. II., 4. §. 4. Clarke's travels T. VII., p. 354.

3) Hist. d. prem. Tcms de la Grèce I. p. 60.

## §. 13.

Herodotus enim, ubi situm atque naturam Thessalicae regionis copiosius enarrat, inter alia haec etiam refert: Τὴν δὲ Θεσσαλίην λόγος ἐστὶ τὸ παλαιὸν εἶναι λίμνην, ὥστε γε συγκεκληθίσμένη πάντοθεν ὑπερμήκεσι οὕρεσι. Τὸ δὲ παλαιὸν λέγεται οὐκ ἔόντος κω τοῦ αὐλῶνος καὶ διεκρούου τούτου, τοὺς ποταμοὺς τούτους, καὶ πρὸς τοῖσι ποταμοῖσι τούτοισι τὴν Βοιβηίδα λίμνην, οὔτε ὀνομάζεσθαι κατὰ περ νῦν, θίειν τε οὐδὲν ἔσσον ἢ νῦν ἔχοντα δὲ, ποιεῖν τὴν Θεσσαλίην πᾶσαν πέλαγος <sup>1)</sup>).

Similiter etiam Strabo <sup>2)</sup> mediam Thessaliae partem beatissimam (εὐδαμονεστάτη) regionem appellat, si eos forte excipias locos, qui fluminibus adluuntur, quia Peneus, amnesque quos plurimos excipit, saepissime effunduntur in agros, antiquitusque planitiem istam stagno fuisse tectam (ἐλιμνάζετο) refert, priusquam terrae motu hiatus effectus esset, per quem Peneus in mare sese evoluit <sup>3)</sup>.

1) VII., 129. cf. et Senecam Quaest. Nat. VI., 25. Apoll. Bibl. I., 7. §. 2. Lucani Phars. VI., 343 seq. Aelian. Var. Hist. III., 1. Clarke's Trav. VII. p. 553.

2) IX., p. 450.

3) Restabant vel auctoris, quem modo laudavimus, aetate duae paludes: Nessonis una mag-

Sed Clavierus illam tantum Thessaliae partem, quae Hestiaeotis deinde est appellata atque proxima sita erat ad Ossae et Olympi iuga aquis fuisse submersam, ac prurptionem illam Penei fluvii paullum ante adventum Doriensium in illam regionem accidisse statuit <sup>1)</sup>.

Sed primum quidem, quum tota fere Thessaliae pars campestris maris instar aquis esset submersa, nulla idonea ex ratione statui posse nobis videtur, Pelasgicas colonias, quae saepius in Thessaliam a singulis ducibus ex Peloponneso deductae veteribus memorantur, prioribus temporibus, quam convallis ista, quae exitum aperuerat Penei fluctibus, exstitisset, eodem commigrasse: nam Pelasgicae illae coloniae paullatim maximam Thessaliae partem occupaverunt, nimirum Phthiotidem, Pelasgotidem, Perrhaebiam, Histiaeotidem, et eam, quae Magnesia postea appellata est, regionem.

## §. 14.

Deinde vero in finibus Histiaeotidis defini-

na, Boebeis, altera priore aliquanto minor, et maritimae orae vicinior. Strab. II, cf. Schol. ad Apoll. Rhod. III., v. 1085. Clarke's Trav. VII. p. 537 seq. 345 Not. Dodwell's Class. Tour. II., p. 96 seq. Ovid. Metam. VII., 215.

1) Tom. I. p. 59.

endis peccare nobis videtur vir celeberrimus, quum, nisus praecipue Herodoti <sup>1)</sup> et Dionysii Halicarnassensis <sup>2)</sup> testimoniis, vallem tantum Tempe ac proxima Ossae atque Olympi montium juga eidem adnumeret <sup>3)</sup>. Primum vero et Herodoti et Dionysii Halic., quos praecipuos opinionis suae auctores attulit vir amplissimus, locis sensus multo latior suggerendas nobis videtur: nam et Herodoti testimonio <sup>4)</sup>, quo τὴν ὑπὸ τὴν Ὀσσαν τε καὶ τὸν Οὐλύμπου χώραν, καλεομένην δὲ Ἰσθιοιωτῖν tamquam antiquissimam Doriensium sedem significat, et Dionysii Halic. verbis, quibus Pelasgos, postquam a Deucalione ex reliqua Thessaliae parte erant pulsati, „περὶ τὸν Ὀλυμπόν τε καὶ τὴν καλουμένην Ἐσθιωτῖν“, habitasse affirmat, latior sensus eruendus, neque regio tantum circa Penei fluvii ostia, sed tota fere Thessaliae pars septentrionalis intelligenda nobis videtur. Nam Strabo occidentales Thessaliae regiones et quae inter Pindum et

1) I., 56.

2) I., 18.

3) T. II. p. 8 seq. Olympus hodie Ἐλιμπος seu Ολυμβος, Ossa vero Κισσαβος appellatur. Dodw. Class. Tour II., p. 106 seq. Clarke's Trav. VII. p. 355.

4) I. l.

inferiorem Macedoniam jacent Hestiacotidem nuncupat <sup>1)</sup>. Similiter secundum Andronis auctoritatem apud Strabonem <sup>2)</sup> antiqua illa Doris posterioribus temporibus Hestiacotis appellabatur. Scholiastes etiam Pindari <sup>3)</sup> Dorienses primum Pindum, μίαν οὔσαν τῆς τετραπόλεως τῆς ἐν Πελοποννήσῳ, incoluisse; et Charax <sup>4)</sup> antiquissimas Doricae stirpis sedes in Hestiacotide occidentem versus a Pindo fuisse referunt. Hestiacotis vero et Perrhaebia una prope eademque fuit Thessaliae regio, nisi quod Hestiacotidis fines magis ad occidentem protrahi solebant <sup>5)</sup>.

Sed, ne multi simus, asseramus haec tantum ad corroborandam istam, quam nequaquam arbitrario amplexi sumus, opinionem nostram. Strabo enim, ubi de Pelasgis uberiora nonnulla afferit, ita pergit: „et Pelasgicum Argos vocatur ea Thessaliae pars, quae est inter ostia Penei et Thermopylas, usque ad Pindi juga

1) ἢ δ' Ἐσθιοιωτῖς τὰ ἐσπέρια, καὶ τὰ μεταξὺ Πίνδου καὶ τῆς ἀνω Μακεδονίας, Strab. IX., p. 450.

2) X., p. 475.

3) Pyth. 1, 121.

4) ap. Steph. Byz. sive Δωριον.

5) Cf. Diod. Sic. IV, 37. Müllers Dorier B. I. p. 27. Kruse's Hellas Bd. I. p. 520 seq. Bd. II. Abthl. II. p. 92. Raoul-Roch. T. II. p. 66.

(ὡς τῆς ὀρεινῆς τῆς κατὰ Πίνδον) quod Pelasgi loca ea obtinuerint <sup>1)</sup>.“ Erat autem τὸ Πελασγικὸν Ἄργος praecipua atque clarissima Pelasgici nominis ditio in Thessalia, quae sine ullo dubio condita erat a coloniis, quae remotissimis temporibus ex Argolide eodem erant profectae <sup>2)</sup>.

§. 15.

Dionysius Hal. loco, quem supra totum attulimus, coloniam illam Pelasgicam, quae ab Achaeo, Phthio et Pelasgo in Haemoniam deducta erat, sex hominum aetatibus post priorem Pelasgum, filium Jovis ac Niobae, Phoronei filiae, eodem commigrasse statuit. Vixit autem prior hic Pelasgus, quem Argum etiam appellatum fuisse Clavierus putat <sup>3)</sup>, si computationi quam Larcherus instituit, fidem tribuere licet, circa annum millesimum octingentesimum octagesimum tertium. Qua auctoritate adductus, Raoul-Rochettius <sup>4)</sup> coloniae illi, quae a Ne-

1) V. p. 221.

2) Cf. et Clavier. T. I. p. 28.

3) Notes sur Apollod. Tom. II. p. 198. cf. Paus. II. 16. §. 1. Apoll. Bibl. II. 1. §. 2. Raoul-Roch. H. d. Col. Gr. I. p. 168. Clav. Hist. d. prem. tems d. I. Gr. I. p. 22. Secundum Acusilaum vero Argus frater fuit Pelasgi cf. Apollod. I. 1. §. 1.

4) -I. p. 174.

ptuni ac Larissae filiis ducta erat in Thessaliam, annum assignat millesimum septingentesimum trigesimum tertium, Larcherus ipse autem millesimum septingentesimum vigesimum septimum ante aeram Christianam <sup>1)</sup>.

§. 16.

Quod si vero praecipuas causas ac rationes, quibus coacti duces illi Pelasgici Peloponnesum dereliquerint, accuratius requirimus, easdem nos omnino nescire palam profiteri non erubescimus: neque enim ulla exstant perspicua veterum argumenta, neque etiam in universum firmiora ulla fundamenta subjici possunt conjecturae.

Raoul Rochettius <sup>2)</sup> magnam illam Pelasgicae stirpis emigrationem usurpationi ac tyrannidi Crotopi, Agenoris filii <sup>3)</sup> in universum adscribit: quod et verisimile nobis videretur, et nullam faceremus moram assentiendi viro doctissimo, si modo rem diligentius atque accuratius circumspexisset. Claudicant enim, quae loco laudato vir celeberrimus protulit, atque omnino discrepant cum iis, quae haud multo

1) Larcher. Chron. d'Hérod. p. 317 et 568.

2) I. p. 175.

3) cf. Paus. I, 14. §. 1. II, 16. §. 1. cf. Clavier Hist. des prem. t. de la Gr. I. p. 25.

post idem ipse exposuit. Refert enim coloniae illius profectionem ex Argolide ad annum millesimum septingentesimum trigesimum tertium; finem autem regni Crotopi ultra annum millesimum sexcentiesimum trigesimum protrahit <sup>1)</sup>; quod et levius dictum nobis videtur, et minus considerate, quippe cum, si in illis, quae vir doctissimus posuit, acquiescere liceret, Crotopo regnum plus quam centum annorum tribuendum foret: nisi, quod in simili casu fieri solet a nonnullis, duos forte statuit Crotopos, quod tamen in opere, de quo modo diximus, nusquam reperimus.

§. 17.

Quam vero Pelasgici nominis ista sit ratio; ut nullius fere Graeciae regionis, imprimis vero Argolidis historia tractari possit, haud facta Pelasgorum mentione: hunc aptissimum putamus locum, quo de Pelasgica gente copiosiora proferamus: qua de re cum sit inter doctos viros magna dissensio, quis est, qui maximi esse momenti, quid hoc in genere optimum atque verissimum sit, exquirere neget? Attamen neque nos, qui ista quae sequuntur statuimus, jurare possumus, rem plane se ita habere, neque ii, qui e contraria forte stent par-

1) Hist. d. Col. Gr. I. p. 202.

te, non ita. Ad antiquissimas enim Pelasgorum sedes spectantibus, adque principia ac naturam migrationum eorum revertentibus nobis, multa simul occurrunt, quae, cum historico fundamento nitantur fere nullo, vel ex conjectura tantum sint percipienda, atque haurienda, vel probabilitatis tantum speciem quandam exhibeant.

§. 18.

Prima quidem Pelasgorum sedes, si ad temporum rationem spectemus, in universum Peloponnesus perhibetur ab antiquis scriptoribus. Peloponnesum ipsam antiquissimis temporibus Pelasgiam appellatam fuisse, praeter Acusilaeum atque Ephorum, testes sunt plerique veterum <sup>1)</sup>.

Sed Argolidis regio ubicunque tamquam prima Pelasgici nominis incunabula apparet. Urbs vero Argos majore ex parte locis sita est planis, et universa Argolidis ditio cavis ac vallibus scissa fertilissimis, et plurimis irrigata fluminibus ac fontibus, jucundissimam praebet opportunitatem habitandi vitamque sustentandi incolis <sup>2)</sup>. Sed praeceteris Argolidis partibus

1) Acusilaus ap. Tzetz. ad Lycophr. v. 177. Ephor. ap. Strab. V., 221. Schol. ad Apollon. Rhod I., 1024. Plin. H. N. IV., 5.

2) cf. Strab. VIII., p. 570 sq.

cum summa soli fertilitate, tum optima situs commoditate vel hodie excellere dicitur planities, quae Argolica proprie vocatur, atque Inacho amne irrigatur <sup>1)</sup>.

Homerus vocabulo *Ἄργος* saepius utitur ad designandam totam regionem, quam singulam urbem; atque ex singulis poëtae locis facile colligere possumus, eundem hoc vocabulo non solum Argolidem, sed universam etiam Peloponnesum indicare voluisse <sup>2)</sup>. Sed *Ἄργος* auctore Strabone <sup>3)</sup> apud recentiores scriptores etiam pro campo seu planitie usurpata esse perhibetur; quem usum tamen Macedonicae ac Thessalicae linguae proprium esse suspicatur ille Geographus (*Ἄργος δὲ καὶ τὸ πεδῖον λέγεται τοῖς νεωτέροις κ. τ. λ. l. l.*). Quod nequaquam mirandum putamus, cum Thessaliam ac Macedoniam Pelasgorum coloniis repletas fuisse, satis cuique constet <sup>4)</sup> et facile fieri poterit, ut

- 1) The Argolic seu Argive plain, Leake's *Morea* II. p. 348 seq. Hughes, *Travels* Tom. I. p. 202. Clarke's *travels* Tom. VI., p. 483 seqq. cf. et Müller's *Orchom.* p. 125 seq.
- 2) cf. II. II., v. 108. *Odyss.* IV., 296. cf. Strab. VIII., 371.
- 3) VIII., 372.
- 4) cf. Aeschyl. *Ἰκετ.* v. 250 seq. Justin. *Hist.* VII., 1. Inter Lycaonidas Macednus memoratur Apollod. III., 8. §. 1.

istis praesertim regionibus vox illa usque ad Strabonis aetatem priscum sensum retinuerit. Accedit Stephani Byz. auctoritas, qui omnem fere campum maritimum Argorum nomine insignitum fuisse memorat <sup>1)</sup>. Freretus <sup>2)</sup> observavit, voce *Ἄργος* antiquam dialectum Aeolicam planitiem disignasse. Dialectus vero Aeolica tamquam omnium antiquissima primum nata atque exulta esse videtur in Thessalia Phthiotide, idque tum factum, postquam Pelasgica gens a Graecorum stirpibus subacta est, ita, ut utriusque populi sermo paullatim in unam linguam concreveret.

§. 19.

Quod si ad primordia Graecae historiae respiciamus, anquirentibus nobis, Argos primum in Peloponneso occurrit; atque vestigia Pelasgici nominis prementes, ejusque migrationes in varias regiones intento investigantes animo, quocunque a deorum hominumque in-

- 1) *Ἄργος δὲ σχεδὸν πᾶν πεδῖον κατὰ θάλασσαν.* Steph. B. s. v. *Ἄργος.* Ita quidem apud Thucyd. II., 17: τὸ Πελασγικὸν ἄργον ἄμεινον. Fortasse est *Ἄργος* antiquior forma pro *ἀργός*?
- 2) sur l' origine et sur l' ancienne hist. des prem. habitans de la Grèce, *Mém. de l' Ac. des Inscr.* T. XLVII. p. 37.

sectationibus, miseriis atque calamitatibus ob-  
obruta fere gens illa sese receperit, ibi fere  
semper manifestas vocabuli Argorum reliquias  
reperimus. Ut vero praetereamus celeberrima  
illa, Achaicum seu Peloponnesiacum atque Pe-  
lasgicum seu Thessalicum, commemorasse hic  
juvat nonnulla alia, quorum mentio fit apud  
veteres scriptores.

Argos Oresticum Macedoniae urbs, quae  
ab Oreste ob matris caedem ex patria profugo  
condita esse dicitur <sup>1)</sup>, sed multo probabilius,  
ut Müllerus conset <sup>2)</sup> propter montibus consi-  
tam, in qua situm erat regionem ita appella-  
tum esse videtur.

Arpi Italiae urbs, aliquando Argos Hippium,  
postea vero Argyrippa nominata atque a  
Diomede condita esse fertur <sup>3)</sup>.

Argos Ciliciae memoratur a Stephan. Byz.  
s. v. et Philostrato in vita Apollon. Thyan.  
VI., 30.

- 
- 1) Strab. VII., p. 326. IX. p. 434. Steph. Byz. s. v. *Ἰστρία*. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 682. Tzetz. Chil V., Hist. 247.
  - 2) Ueber d. Wohnsitze u. s. w. des Makedonis. Volks p. 15.
  - 3) Strab. VI., p. 235 seq. Justin. Hist. XX., 1. Plin. H. N. III., 16. cf. Virgil, Aen. XI., 246 seq.

Argos Amphiloichicum conditum esse dicitur  
in sinu Ambracico ab Amphilocho, Amphiarai  
filio, post reditum e bello Trojano <sup>1)</sup>.

Sed in universum undecim loca, quae Ar-  
gorum nomen gessisse dicuntur, memorantur a  
Stephan. Byz. <sup>2)</sup>.

§. 20.

Neque minus frequens usus est Larissarum  
in illis regionibus, de quibus historicis docu-  
mentis probari potest, ibi Pelasgicum populum  
olim sedes suas constitutas habuisse. Naturam  
autem omnium Larissaram propriam optime de-  
monstrat Strabo, qui agrum earum ingesta a  
fluvii terra (*ποταμούχαστρον τὴν χάραν*) integri so-  
lere, omnesque Larissas in vicinia fertilissi-  
marum planitierum, atque in ripa fluminum,  
quae saepius effundantur in agros, relicto fer-  
tilissimo limo, sitas fuisse refert <sup>3)</sup>. Cujus na-  
turae Cayster, Hermus, Peneus, Asopus, Ina-

- 
- 1) Sed maxime discrepant veteres scriptores et  
de conditoris nomine, et de loco quo sita,  
et de tempore quo condita erat. Thucyd. II.,  
68, 102. Apollod. Bibl. III. 7. §. 5. Strab., VII.  
p. 325. cf. Scymn. Ch. v. 457. Scylac. Peripl.  
p. 13. Raoul-Roch. II. p. 240 seq. Müller. Ue-  
ber d. Wohns. d. Mak. V. p. 61.
  - 2) s. v. *Ἄργος*.
  - 3) XIII. p. 621. IX., p. 440. Eustath. ad Il. II. 840 seq.

chus, alii fluvii multi: Ita quidem Larissa, Phriconis, Caystria, Ephesia et ad Hamaxitum in agro Trojano, in fertilissimis regionibus sitae erant, et auctore Meneerate Elaita <sup>1)</sup> universa ora maritima, quae postea Ionica dicebatur, sedes fuit Pelasgorum. Similiter Thesaliae Larissae, ut Cremaste illa seu pensilis aliaeque, quae plures memorantur; aeque atque Larissae Campaniae, et Cretae insulae, quae Strabonis aetate in Hierapytnam contracta erat, in agris conditae erant, qui et agriculturae et optimis ac nobilissimis fructibus erant aptissimi <sup>2)</sup>.

§. 21.

Quod si vero indoles cujusvis populi maxime e regionum natura cognoscitur, in quibus praecipue consedere soleant: ita etiam Pelasgi ab antiquissimis, quorum ulla servata sit memoria, temporibus, et pacis studiosi, et artium quae ex ea plerumque nasci solent, diligentes fuisse videntur: sed propter hanc ipsam populi indolem a rudibus, ac rei militari, atque latrocinii plerumque deditis vicinis gentibus sae-

1) ap. Strab. XIII. p. 621.

2) Strab. IX., p. 440. Dionys. Hal. I., 21. Steph. Byz. s. v. Γόρτυν et Λάρισσα, qui duodecim Larissas memorat.

pissime sollicitati atque laecessiti, ad avitas suas sedes derelinquendas concti, jam antiquitus in varias ac remotissimas regiones emigrasse dicuntur. Sed prima atque antiquissima eorum sedes, ut jam supra attingimus, ea Peloponnesi pars, quae Orientem versus sita est, fuisse videtur; inque omnibus reliquis regionibus, quae secundum veterum testimonia a Pelasgis erant occupatae, tamquam coloni, ex Argolide profecti, apparent. Nusquam fere quantum ex antiquis monumentis colligere licet, Pelasgi tamquam continuus, rebusque gestis insignis populus inlaruerunt, sed maxime *σποραδῆν* atque insularum modo in varias regiones dispersus, plerumque feris ac validis advenis, nullis fere armis collatis, arva sua concedere solebant.

Etiamsi argumenta nostra mythicis maxime nitantur Graecorum traditionibus; verumtamen ejusmodi sunt, ut in similibus rebus meliora ne postulare quidem possimus.

Argos quidem Achaicum stirps quasi, ex qua omnes reliqui surculi ac ramuli Pelasgici nominis profecti sunt, fuisse videtur. Dionysius Hal. <sup>1)</sup> atque Aeschylus <sup>2)</sup> patriam Pelas-

1) Ant. Rom. I., 17.

2) Danaid. seu *Ικερὶδ.* v. 274 seqq. cf. Strab. V., 321.

gorum nominatim exhibent Argos Achaicum. In tabula genealogica regum Argivorum saepius occurrit nomen Pelasgi. Ita quidem Scholias-tes ad Apollon. Rhod. 1) Pelasgum, Inachi filium memorat. Inter Phoronei filios, Pelasgum, qui post patris mortem occiduas Argolidis partes obtinuisse, atque e regione Erasini fluminis Larissam condidisse dicitur, refert Eustathius 2). Similiter inter Triopae filios Pelasgus etiam nominatur 3). Larissa etiam, cujus filii Achaeus, Phthius et Pelasgus, ut jam supra vidimus, Pelasgorum coloniam in Thessaliam deduxisse dicuntur, Hellenico 4) ac Pausania 5) testibus e Pelasgo nata erat Argivo. Neque his repugnant, qui Pelasgum Arcadici regni conditorem ex Argolide profectum esse memorant.

Accedit, ut inter Sicyoniae reges etiam Pelasgi mentio fiat, qui Aenea Latinis imperante, vixisse fertur 6).

1) I., 58.

2) ad Hom. II. III., 74.

3) Paus. II., 22. §. 2. Schol. ad Iliad. III., 75. Schol. ad Eurip. Orest. v. 950.

4) ap. Schol. ad Apollon. Rhod. I., 41.

5) II., 25. §. 9.

6) Castor ap. Euseb. Chron. I., cap. 25.

## §. 22.

Sed missis etiam illis de Argolidis regione mythicis traditionibus, in quibus Pelasgi nomen saepissime occurrit; antiquissimae etiam Pelasgorum populi migrationes cum nostra sententia satis congruere videntur. Etiam si de singulis rebus omnino affirmare non possumus, eandem plane se ita habuisse, cum multa posteriori aetate a rerum scriptoribus addita atque exornata esse neminem fugiat; tamen nullam cernimus idoneam causam, cur omnino fundamenta illarum narrationum plane denegemus, cum maximas atque gravissimas rerum commutationes per longas saeculorum series hominum memoria servari solere, satis cuique cognitum sit. Sed praetereuntes eas, quas jam supra memorarimus, Pelasgorum colonias, quae ex Argolide in Haemoniam profectae esse dicuntur: tamen haud supervacaneum fore ducimus, si de omnibus Argivis coloniis haec breviter addamus: Fertilitas soli Argolidis, praecipue vero ejus regionis quae ab Inacho amne irrigatur, brevi magnum populi multitudinis incrementum effecisse videtur; cum Argorum plautities omnes res, quae ad vitam sustentandam maxime necessariae sunt, parvo adhibito hominum labore, abundanter suggereret. — Cuique vero cognitum est, quam cito hominum nume-

rus acerescere soleat in civitatibus, recens conditis, quae omnibus utuntur naturae beneficiis. Ita quidem olim in Argiva planitie, cujus superficies fines Anglicanae parochiae non excedit, praeter magnum vicorum numerum, sitae erant quatuor magnae urbes, Argos, Mycenae, Tiryns, Nauplia. Sed propter ipsum illud magnum populi copiae incrementum regio Argorum brevi majori, quam ut quam sustentare posset, hominum copia laboraret, saepiusque in alias regiones coloniae deducerentur necesse erat. Qua de causa non ii sumus, qui duas illas colonias, quas supra memoravimus, solas fuisse, quae antiquissimis temporibus in Graeciae regiones septentrionales deductae fuerint, statuamus; sed solae tantum fuisse videntur, quarum memoria, mythicis jam tenebris haud parum obscurata usque ad recentiora tempora servata erat apud posteros.

## §. 23.

Sed pleraeque Pelasgorum coloniae, propter illam, quam supra exposuimus, Pelasgici populi indolem, qui fere semper in paludosis atque aquarum copia abundantibus planitiis consedere solebat, Boream versus profectae esse videntur. Laconica enim regio, propter montuosam atque aridam plerumque soli naturam, nullas fere exhibet planities, et vallis, quam Eurotas irrigat, jam antiquitus ab aliis bellico-

sis stirpibus occupata esse videtur. Arcadiae etiam terram altissimis montibus repletam jam antiquissimis temporibus a Pelasgorum coloniis frequentatam fuisse; easdem vero brevi in alias regiones emigrasse mox videbimus. Achajae etiam ora maritima, etiamsi in universum haud magna fruatur soli felicitate, quia montium iuga plerumque prope ad mare accedunt, atque rivuli, qui iisdem emanant, post brevem atque rapidum cursum iam mare sese ejiunt, glareosam atque agriculturae minime aptam efficiunt terram; tamen in iis regionibus ubi montes magis a maris vicinate recedunt, ut in occidentis Achajae partibus, quae a Lariso, Piro, aliisque majoribus irrigantur fluminibus, jam antiquitus Pelasgorum coloniae, quae sine dubio ex Arcadia erant profectae, consedissee videntur <sup>1)</sup>. Similiter fertilissima Sicyoniae regio, quae ab Asopo scinditur flumine, jam remotissimis temporibus a Pelasgorum coloniis occupata esse videtur <sup>2)</sup>, et Phlius, quae in medio Sicyoniae

1) In Patrarum regione vestigia cultus Cereris Pelasgicae apparent ex Pausan. VII., p. 563. Athen. Deipn. XI., p. 460, et Jones quamdiu Achajam in Peloponneso tenuerunt, Pelasgi Aegialenses dicebantur. Herod. VII., 94.

2) Liv. XXXIII., 15, Stat. Theb. IV. v. 50. Leake's

sita erat <sup>1)</sup> magnam praebet mythorum consociationem <sup>2)</sup>.

§. 24.

Sed post Argos praecipua Pelasgorum sedes in Peloponneso Arcadia fuit. Quo imprimis factum esse videtur, ut plures veterum scriptorum Arcadium tamquam primam atque antiquissimam Pelasgici populi sedem exhiberent. Ita quidem Ephorus, praecedente Hesiodo, Pelasgos ex Arcadia esse oriundos referebat, eosque, cum militarem amplexi essent vitam, et multos ad studii ejus ac vitae rationis nomi-

---

Morea III., p. 277. Dodw. Cl. and top. Tour II. p. 292 seq. Clarke's Trav. VI., p. 532.

1) Strab. VIII. p. 382.

2) Paus. II., 12. seq. Ita quidem praecipuus Cereris ac Junonis Sicyone ac Phliunte cultus memoratur Straboni I. I. et Pausaniae II., 12. §. 1. 13. §. 3. Similiter ex mytho illo, quem Diodorus Sic. IV., 72. retulit, qui Asopum, Penei fratrem, filiam Ladonis in matrimonium duxisse exhibet, antiquam fuisse consociationem inter Phliuntem, atque Ladonis et Penei valles conjici potest. — Celeis, quinque ad summum stadia a Phliunte, quarto quoque anno Cereris initia referebantur, ut Pausan. testatur II., 14. §. 1. cf. Mülleri Aeginet p. 10. Paus. II., cap. 5 et 6. Euseb. Chron. I., cap. 25. Syncell. p. 102.

nisque societatem pellexissent, apud alios, ad quos pervenissent, magnam celebritatem comparasse <sup>1)</sup>. Etiam si Arcades, auctore Xenophonte <sup>2)</sup>, saepissime tamquam mercenarii apud exterarum gentes stipendia faciebant, atque propter bellicas virtutes omnibus reliquis Graecorum stirpibus praeferrere solebant: sed Arcades recentiorum Graeciae temporum et antiquissimi illi Pelasgi non iidem sunt.

Praecipua autem illa Pelasgorum ex Argolide in Arcadium emigratio, si mythicis de ea narrationibus fidem tribuere licet, duce Pelasgo, qui Arcadici regni fundamenta jecisse fertur, profecta est. De tempore, quo id factum sit, nihil certi, ut jam vidimus, constitui potest. Sed sufficit quidem eam coloniam pariter, atque omnes alias, ex Argolide eodem profectam esse. Etiam si enim Pelasgos, Hesiodo <sup>3)</sup> et Pausania <sup>4)</sup> auctoribus, autochthon fuerit Arcadiae, a quo Arcadia Pelasgia appellata esse

---

1) cf. Strab. V. p. 221. Similiter Hesychius s. v. Πελασγοί· καὶ γένος ἀπὸ Πελασγοῦ τοῦ Ἀρκάδος γενόμενον πολυπλάγητον.

2) Hellen. lib. VII., 23.

3) ap. Apollod. Bibl. III., 8. §. 1.

4) VIII., 1. §. 2.

dicitur <sup>1)</sup>; veruntamen Acusiläus <sup>2)</sup>, Dionysius Hal. <sup>3)</sup> et Diodorus Sic. <sup>4)</sup> hunc Pelasgum Jovis ac Niobae, Phoronei filiae, filium exhibent; et Pausanias ipse <sup>5)</sup> haud multum fidei mytho illi de Pelasgo Arcadiae autóchthone tribuere videtur <sup>6)</sup>.

Sed omnino fertilissimae Arcadiae regiones a Pelasgorum colonis occupatae esse videntur, donec a Graecorum bellicosus stirpibus ex iisdem maxima ex parte propulsi, partim in alias terras emigrassent, partim vero in montuosas Arcadici agri partes concedentes, pastoralem vitam amplexi essent. Ita quidem Parrhasia, auctore Dionysio Characensi <sup>7)</sup>, a Pelasgo ipso condita esse dicitur. Similiter Lycosuram, ubi postea Clitor, Azanis filius, regiam suam constituisse traditur, a Lycaone, Pelasgi filio, conditam fuisse testis est Pausanias <sup>8)</sup>. Idem Clitor urbem Clitora de suo nomine appellasse

- 
- 1) Paus. I. I. Steph. Byz. s. v. Παλῆγασία. cf. Eustath. ad Hom. II, II., 603. Plin. H. N. IV., 10.
  - 2) ap. Apollod. I. I.
  - 3) Ant. Rom. I., 17.
  - 4) VI., 14.
  - 5) I. I.
  - 6) cf. Hesiodum ap. Strab. V., 221.
  - 7) ap. Steph. s. v. Παλῆγασία.
  - 8) VIII., 2. §. 1.

dicitur <sup>1)</sup>. Pelasgus etiam, qui Dejanirae, Lycaonis filiae nupsit, memoratur Dionysio Halic. <sup>2)</sup>. Similiter Heraeae urbis, quae in angulo fere, qui Alpei atque Arcadici Ladonis fluminum concursu efficitur, sita erat <sup>3)</sup> conditor Heraeus, Lycaonis filius, fuisse perhibetur <sup>4)</sup>.

Sed nobis etiam videtur quam maxime probabile esse, valles etiam Alpei, Mylaonis, Ladonis, Erymanthi, aliorum fluminum jam antiquitus a Pelasgis habitatas fuisse. Arcadicus ille Ladon haud procul ab eo quo in Alpeum effunditur loco, fertilissimum efficit Delta, quod Corvorum insula vocatur <sup>5)</sup>. Ex Gortynis seu Gortynae urbis nomine, quae in Lusii seu Gortynii fluminis ripa sita erat, facile colligere licet, inter Pelasgos Arcadiae atque Cretae insulae olim confinitatem quandam fuisse <sup>6)</sup>.

- 
- 1) Paus. VIII., 4. §. 3.
  - 2) Ant. Rom. I., 11.
  - 3) Haud procul a Corvorum insula, Κορῶνων νῆσος, Paus. VIII., 25. §. 7. ubi hodie the village of Agiani or Hagios Johannes invenitur. Gell. Itiner. p. 113. Leake's Morea II., p. 74 sq.
  - 4) Paus. VIII., 26. §. 1. cf. Diod. Sic. XV., 40. Polyb. IV., 77. Müller's Dorier II. p. 444.
  - 5) Leake's Morea II. p. 90 sq.
  - 6) Paus. V., 7. §. 2. Homerus II. II., 646, Creticam illam Gortynam τειχιόεσσαν appellat. Steph.

§. 25.

In Graecia vero septentrionali praecipua Pelasgici nominis ditio fuit Thessalia. Media Thessalia, fertilissima regio Straboni dicitur <sup>1)</sup>. Egregiae atque foecundissimae planities in Thessalia meridionali efficiuntur a Spercheo, Acheloo atque Amphryso amnibus; in septentrionali vero a Peneo fluvio, qui propter magnam rivulorum, qui in eum effunduntur, copiam, saepissime adjacentes campos inundare solebat. Convallis, quae a Spercheo irrigatur, atque regio quae ad Oetae montis juga extenditur, antiqua fuit Dryopum sedes, quorum Pelasgicam originem testantur Aristoteles <sup>2)</sup>, Scholiastae ad Apollon. Rhod. <sup>3)</sup> atque Eustathi-

Byz. s. v. Γόγρυ. Gell's Itin. p. 105. Pelasgicam fuisse Arcadicae Gortynae originem facile ex eo conjicitur, quod Gortys, qui eam urbem ad Lusium amnem condidisse fertur, Stymphali filius fuisse dicitur. Paus. VIII, 4. §. 5. Similiter consociatio quaedam antiquis temporibus existisse videtur inter Arcadicae Gortynam et Gortyniam, quae in Emathia; in Aestroeï fluminis, qui in Lydian effunditur, ripa sita erat. (Thucyd. II., 100.)

1) IX. p. 430.

2) ap. Strab. VIII. p. 373.

3) I. 1212 et 1218.

us <sup>1)</sup> qui eos ex Arcadia oriundos esse referunt <sup>2)</sup>.

In Thessalia fuit clarissimus ille Campus Crocius (Κρόκιον πεδιον) ubi antiquissima urbs Alos sita erat, alluente moenia Amphryso amne <sup>3)</sup>: Similiter Amyri planities, quae extendebatur secundum sinum Thermaicum <sup>4)</sup>. Hic etiam situs erat campus Dotius, in quo per longum tempus Athamanes habitasse dicuntur; ipsa planities propriis circumdata est montibus, et, referente antiquo mytho, quem Mna-

1) ad Iliad. II., 560.

2) cf. Tzetz. ad Lycophr. 480. Strab. IX., 430. Müller's Dorier I., p. 41 seq. Posterioribus temporibus Dryopes a Doriensibus e pristinis suis sedibus ejeti, in Peloponnesum commigrasse videntur, ubi Herodotus VIII., 43. eos Hermionensibus adnumerat. — „Hermionenses „vero Dryopes sunt ab Hercule et Maliensibus e regione quae Doris nunc vocatur pulsati“. cf. J., 56. Pelasgicam originem etiam indicare videtur cultus Cereris Chthoniae, Corae Meliboeae, et Hadis Clymeni. cf. Müller's Dor. I. I. et I. p. 416 seq. Strabo ipse VII. p. 331. Dryopes barbaris adnumerat populis, qui olim sub nomine Cauconum, Lelegum, Pelasgorum, aliorum Peloponnesum tenuerunt.

3) Strab. IX. p. 433.

4) cf. Steph. Byz. s. v. Ἰωλκός.

seas ac Herodianus servarunt, nomen suum a Doto, Pelasgi filio, acceperat <sup>1)</sup>. Adnotandum quidem est eundem campum a Dionysio (in Gigantide) etiam Δώτια Τέμπεα atque Δώτιον Ἄργος appellari <sup>2)</sup>.

§. 28.

Dotio quidem campo vicina fuit planities, quae Pelasgica vocabatur, atque secundum Onochoni atque Apidani, qui in Peneum effunduntur, amnium littora extendebatur. Ibi quidem sitae erant celeberrimae illae Pelasgorum urbes Larissa atque Argissa <sup>3)</sup>. Sed qui Strabonis aetate Pelasgicus campus (τὸ νῦν καλούμενον Πελασγικὸν πεδίον) vocabatur inde a Sepio promontorio, et sinu Pagasaico atque Chalcodonio monte meridiem versus, usque ad Olympi montis iuga extendebatur, ita ut totam Magnesian, Thessaliam, Pelasgiotidem atque Perrhaebiam complexus fuisse videatur. Strabo <sup>4)</sup> in hoc terrarum tractu Pelionem, Homolen, Ossam, Mopsium, Gyrtionem, alia memorat. Homerus sub hoc nomine totam Thessaliam Pelasgiotidem atque Phthiotidem usque ad Oetam mon-

- 
- 1) Steph. Byz. s. v. Δώτιον. Strab. IX., p. 442.
  - 2) Steph. Byz. l. l. cf. et Müller's Orchom. p. 192.
  - 3) Steph. Byz. s. v. Ἄργουσα.
  - 4) Strab. IX., p. 445.

tem atque Thermopylas intellexisse videtur <sup>1)</sup>; quod etiam, etsi minime accurate confirmatur a Scholiasta ad Iliad. <sup>2)</sup>, qui Ἄργος Πελασγικὸν Thessaliam nominat <sup>3)</sup>; cum quibus etiam conveniunt ea, quae Strabo alio loco <sup>4)</sup> attulit; qui Pelasgorum dittonis fines usque ad Pindi juga occidentem versus protrahit <sup>5)</sup>.

§. 27.

Ex Thessalia vero Pelasgicus populus in varias atque remotissimas regiones emigravit, praesertim cum indies magis sollicitaretur atque urgeretur a rudibus ac bellicosis Thracicis atque Illyricis gentibus, quae partim a septentrione super Olympi horrida juga, partim vero ab Occidente super Pindi aspera cacumina in Pelasgicum campum prorumpentes, sensim sensimque totam regionem occuparunt <sup>6)</sup>. Jam olim sine dubio magna pars eorum in Macedoniam emi-

- 
- 1) Il. II., 681 seq.
  - 2) ad Iliad. X., 141.
  - 3) cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 347 et 418, Hesych. s. v. Πελασγοί.
  - 4) V. p. 220.
  - 5) cf. Steph. Byz. s. v. Ἄργουσα. Schol. ad Apoll. Rhod. I., 580. Eustath. ad Il. II., 681. Pelasgos Thessaliam olim incoluisse, refert etiam, Herod. I., 56.
  - 6) cf. Dionys. Hal. Ant. Rom. I., 17 seq.

grasse, atque in paludosis Haliacmonis atque Axii fluminum ostiis, inque lacus littore, qui influxu efficitur Lydiae amnis, ubi postea Pella urbs sita erat, consedissee videtur: quae regio, cum undique circumdata esset paludibus atque saltibus, inaccessa erat bellicosiss. barbarorum agminibus. Similiter pars eorum in Elimiotide, e regione, ubi Orestarum ditio erat, prope Haliacmonis fontes, ubi Argos urbs memoratur, sedes suas constituisse videtur <sup>1)</sup>. Sed paullatim Pelasgi totum terrarum tractum usque ad Strymonem fluvium coloniis suis occupasse videntur <sup>2)</sup>.

§. 28.

Boeotiam, auctore Strabone, initio barbari tenuerunt Aones, et Temnices, et Leleges atque Hyantes. Deinde Cadmus atque Phoenices occuparunt: quorum posteri plerisque Boeotis imperantes imperium usque ad Epigonorum bellum propagarunt <sup>3)</sup>. Sed Epigonorum bel-

---

1) Hoc Argos Stephanus Byz. s. v. Ἄργος Argos Scythiae vocat: sed perperam quidem, cum omnino urbis situm justo magis Boream versus retrudere videatur. cf. Liv. XXXI., 40. cf. et Müller. Ueber die Wohns. u. s. w. des Mak. V. p. 14.

2) Aeschyl. *Ixer* et. v. 250. seq.

3) Strab. IX., 401.

lum magnas gentium migrationes atque rerum turbas effecisse videtur. Cadmeones, ad Thebas derelinquendas coacti, postea denuo eodem redierunt: deinde denuo a Thracibus et Pelasgis Thebis expulsi, in Thessalia cum Arnaeis rempublicam constituerunt; tum vero a Thessalis ex Arne pulsi, adjecta Minyarum Orchomenia Boeotiae junctis viribus ejectos Pelasgos Athenas compulerunt <sup>1)</sup>.

Sed jam remotissimis temporibus, multo ante illas Bocotorum migrationes Pelasgi in occiduo atque septentrionali Copaidis lacus littore consedissee videntur. Ibi quidem sitae erant Athenae atque Eleusis urbes <sup>2)</sup> et memoratu dignum est, cultum Minervae Alalcomeniae ad Tritonem amnem obtinuisse, qui in Copaidem effunditur lacum <sup>3)</sup>. Notatu quidem dignum est mythum, qui ab incolis Alalcomenarum ferebatur, Minervam ab indigena homine enutritam atque educatam esse, etiam apud

---

1) Strab. l. l. Dionys. Hal. I., 18. Id, quod auctore Thucydide I., 12. factum est sexagesimo anno post Trojam captam.

2) Paus. IX. 24. §. 2. Strab. IX., 407. Steph. Byz. s. v. Ἀθήναι.

3) Paus. IX., 53. §. 4 seq. cf. Suidan s. v. Πραξιδικη. Müller's Orchom. p. 128.

Arcades ad fontem Tritonem Alipherae inveniri; Alipheraei vero originem mythi sibi vindicare <sup>1)</sup>).

## §. 29.

Pelasgos Athenas commigrasse, ibique sub Hymetto consedissee, constans fama fuit apud veteres <sup>2)</sup>).

Sed jam antiquitus Pelasgorum coloniae in Aetoliam atque Epirum commigrasse videntur: praecipua vero sedes eorum e regione fuit Dodonae. Auctore Hieronymo <sup>3)</sup> Pelasgi, qui olim campestem tenuerunt Thessaliam a Lapithis in Aetoliam expulsi sunt <sup>4)</sup>. Sed neque de situ Dodonae, neque de Origine Dodonaei oraculi conveniunt, veterum testimonia <sup>5)</sup>.

1) Paus. VIII., 26. §. 4.

2) Philochori fragm. p. 15. Hecataeus ap. Herod. VI., 137. Strab. V., p. 221. sub fin. IX., 401. Tyrsenos Pelasgos Athenas olim incoluisse, testis est Thucyd. IV., 109. cf. II., 17. Vellej. Paterc. I., 3. Ex Italia quoque olim Pelasgos quosdam Athenas trajecisse refert Strab. V., 226. cf. et, Hesych. s. v. Πελασγοὶ νόμοι.

3) ap. Strab. IX. p. 445.

4) cf. Dionys. Hal. Ant. Rom. I., 18.

5) Notatu quidem dignum est, Dodonae alteram

## §. 30.

Similiter Triopas, Aeoli nepos, qui, antequam in Cariam profectus esset, Dotii regnavit, propter commissum sacrilegium, Pelasgorum coloniam in Cariae Chersonnesum deduxisse fertur; quam coloniam Raoul-Rochettius ad annum retrudit millesimum trecentessimum nonagesimum secundum <sup>1)</sup>. Perperam quidem Stephanus Byz. Cnidios Dotium Thessaliae urbem commigrasse perhibet, cum Callimachi

formam fuisse Bodonaeum, quam Zenodotus in Phegonaeum emendat. Fuit vero, auctore Cineia (ap. Steph. Byz. s. v. Δαδώνη) urbs Phegus in Thessalia, et oraculum Jovis in Epirum esse translatum idem referebat. Similiter auctore Suida, fanum fuit in Thessalia Jovis Phegonaei, Φηγωναίου Διός. Ex quercu vero (ἐκ δρυός) vaticinabantur Dodonae (Hom. Od. XIV., v. 327 seq.): Φηγός autem δρυός species erat. Pausanias enim in Arcadum saltibus tria quercuum genera memorat: alias platyphyllos, alias fagos (esculus quercus), tertium genus phellon. (Paus. VIII., 12. §. 1. cf. I. §. 2. II. V., 695. Διός περικαλλεῖ Φηγῶ. cf. II. VII., 60.)

1) Cf. Diod. Sic V., 6, cf. V., 58. Callim. Hymn. ad Cerer. v. 26 seqq.

versus, quem ipse laudat, contrariam suggerat sententiam <sup>1)</sup>.

§. 31.

Sed paene omnes Graecorum Archipelagi insulas paullatim a continente a Pelasgorum coloniis occupatas esse, ex veterum testimoniis colligere licet. Ita quidem antiquissimis temporibus Pelasgi consederunt in Euboea <sup>2)</sup>; in Lesbo atque Chio <sup>3)</sup>; Scyro (Πελασγία Σκυρός) ac Sciatho <sup>4)</sup>; Samothrace <sup>5)</sup>.

Similiter a Pelasgis occupatae erant Lem-

- 1) Steph. Byz. s. v. Δῶτιον. Sed de origine Triopae maxime discrepant veteres auctores: Diod. Sic. V., 61. Apollod. Bibl. I, 7. §. 4. Callim. Hymn. ad Cer. v. 100. Nomen vero Triopae in memoriam revocat tabulam Argivorum regum genealogicam.
- 2) Dionys. Hal. I., 18. Schol. ad Apoll. Rhod. I., 1024, cf. 1112.
- 3) Dionys. Hal. I. I. Strab. V., 221. XIII. p. 621. Plin. H. N. V. 39. Diod. Sic. V. 71. Pelasgi, qui Lesbum insulam occupaverunt, ex Peloponneso erant profecti.
- 4) Scymn. Ch. v. 532. Dicaearch. p. 26. Plut. Cim. p. 483. B.
- 5) Herod. II., 51. Steph. Byz. s. v. Σαμοθρ.

nos atque Imbros <sup>1)</sup>; Ceos <sup>2)</sup>; Thera <sup>3)</sup>; Samos <sup>4)</sup>; Delos <sup>5)</sup>; Andros <sup>6)</sup>; Creta <sup>7)</sup>.

Sed maximam partem orae Asiae minoris maritimae a Pelasgorum coloniis occupatas fuisse, jam supra memoravimus.

§. 32.

Similiter in fertilissimis Italiae planitiibus olim Pelasgi consedissee videntur. Antiquissimam Pelasgorum coloniam, quae in peninsulam Italicam profecta fuerit, mythus commemorat eam, quae a Lycaonida illo Oenotro, ac fratre ejus Peucetio ex Arcadia eodem deducta fuerit <sup>8)</sup>. Non praetereundum quidem est, Dio-

- 1) Anticlides ap. Strab. V., 221. Paus. VII., 2. §. 2. Eustath. ad II. II., 340. Herod. VII. 138 seq. Thucyd. IV., 109. Eustath. ad Dionys. Perieg. 349 et 524. Steph. Byz. s. v. Ἰμβρος.
- 2) Schol. ad Apoll. Rh. II. 498 cf. Diod. Sic. IV. 82.
- 3) Justin. XIII., 7.
- 4) Dionys. Perieg. v. 534 et Eustath. ad h. l. cf. Strab. XIII. 621.
- 5) Steph. Byz. s. v. Δῆλος.
- 6) Conon. narr. 41.
- 7) Hom. Od. XIX., 187 cf. Strab. V. 221. Hoeck's Creta II. p. 126. Neumann Rerum Cretic. speciem. p. 27.
- 8) Dionys. Hal. Ant. Rom. I., 11 et Pherecyd. ap. eund. I., 13. Paus. VIII., 3. §. 2. cf. Plin. III. 8. Euseb. Chron. I. p. 197.

nysium <sup>1)</sup>, qui hac in re Myrsilum Lesbium atque mythographos secutus esse videtur, causam illius emigrationis eam afferre, quod terra non sufficeret: quae tamen omnino praecipua causa omnium fere Pelasgorum emigrationum ex Peloponneso fuisse videtur. Oenotrii vero, Antiocho Syracusio atque Sophocle <sup>2)</sup> auctoribus, primi fuisse dicuntur, qui Italiam occupaverint, atque agriculturae ac reliquarum artium primi inventores fuerint. Prima autem Pelasgorum sedes in Padi ostio fuit, ubi Spina ab iisdem condita esse dicitur: floruit vero haec colonia quam maxime, quia *θαλασσοκρατούντες* hoc in mari Pelasgi fuisse perhibentur, donec a barbaris gentibus ex illa etiam sede pellerentur <sup>3)</sup>. Similiter Pelasgi, concedentibus Aboriginibus, in paludosis Veliae regionibus circa Sacrum lacum, *περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην*, consedissee feruntur <sup>4)</sup>. Praecipua vero sedes eorum in Campania fuisse videtur, ubi Croton urbs ab iis condita esse dicitur <sup>5)</sup>.

1) l. l.

2) In Triptolemo ap. Dionys. Hal. I., 12.

3) Dionys. Hal. Ant. Rom. I. 18 et Hellenicus ap. eund. I. 28. Strab. V. 214. Plin. H. N. III, <sup>20</sup> Steph. Byz. s. v. Σπῖνα.

4) Dionys. Ant. R. I. 20.

5) Dionys. l. l. Culus Junonis in ipsa regione

§. 33.

Sed aliae etiam Italiae regiones Pelasgorum coloniis repletas fuisse videntur. Ita quidem Agylla, quae Caere postea appellata fuit, Pisa, Saturnia, Graviscae, Pyrgi, Alsium, Fregeneae Pelasgicam originem redolent <sup>1)</sup>. Similiter locuples Lucinae fanum apud Caerites a Pelasgis olim conditum fuisse dicebatur <sup>2)</sup>: Sarrastrasi, Nuceriae incolae, auctore Conone Pelasgi ex Peloponneso aliisque regionibus fuerunt <sup>3)</sup>: Falisca Argis orta, Ardea a Danae, Persei matre condita fuisse perhibetur <sup>4)</sup>. Templum Junonis Argivae insigne ad Salernum fuit, cuius summam antiquitatem testatur Plinius <sup>5)</sup>.

Falerium ac Fescennium ad Dionysii usque aetatem manifesta Pelasgicae originis vestigia servaverant <sup>6)</sup>.

*Λακίτιον ἱερὸν Ἑρας*, v. Scylac. Peripl. p. 5. ed. Klausen.

1) Strab. V. p. 225 seq. Dionys. Hal. I. 20. Plin. H. N. III. 8. 9.

2) Strab. V. p. 226.

3) Ap. Servium ad Aeneid. VII, 738 cf. Niebuhr's Röm. Gesch. I. p. 52 ed. tert.

4) Plin. H. N. III, 8. 9. cf. Virg. Aeneid. VII. 371 seq. 409 seq.

5) H. N. III, 9. cf. Solin. Polyh. Cap. 8.

6) Dionys. Hal. Ant. Rom. I, 21. *ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους*.

Quod maxime colligi poterat ex armorum ornatu, atque belli gerendi ratione. Templum etiam Junonis Argivae, quod Falerii fuit, eundem in modum comparatum fuisse dicitur atque celeberrimum illud Heraeum apud Argivos; nam, ut hoc tantum utamur, huic etiam templo mulieres praecerant, atque sacris fungebantur negotiis <sup>1)</sup>).

Altera vero Pelasgorum colonia, quae magna hominum frequentia insignis, in Italiam profecta sit, ea fuit, quae sexaginta annos ante bellum Trojanum ab Evandro, Mercurii atque nymphae ejusdam Arcadiae filio, Palantio, Arcadiae oppido, eodem deducta esse, atque in Tiberis fluvii ripa, ubi postea Roma exaedificata sit, consedissee fertur <sup>2)</sup>): Notatu quidem est, festum, quo Jovi Pelori sacra faciebant Pelasgi Thessalici, quoque domini servorum fungebantur muneribus, ac famulis suis serviebant, etiam apud Romanos inveniri: nam Romanorum Saturnalia eadem fuisse videntur, atque Peloria Thessaliorum <sup>3)</sup>).

§. 34.

Quod si igitur singulas, quas modo breviter

1) Dionys. Hal. l. 1.

2) Dionys. Hal. l. 1, 51.

3) Athen. Deipnos. XIV. p. 659.

ter exposuimus, Pelasgici populi migrationes, nulla habita earum, quae praesertim recentiori aetate de origine deque prima sede Pelasgorum a doctissimis viris propositae sunt, opinionum ratione, accuratius consideremus, haec breviter argumenta evolvere possumus.

I. Primum quidem, ex omnibus quae supra allata sunt probabile fit, antiquissimam Pelasgorum sedem Argolidem fuisse: in hac etiam regione primae Pelasgici nominis civitates constitutae, et mox ad magnum floris ac divitiarum gradum pervenisse videntur, quod Dionysius Hal. brevissimi ita explicat: „(Pelasgi) *πρωτων μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαιῶν Ἄργος ἤκησαν, αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι*“, etiamsi eos Graecae originis fuisse putat (*γένος Ἑλληνικόν*) <sup>1)</sup>).

§. 35.

II. Deinde vero ex paucis atque exiguis de Pelasgorum coloniis ac migrationibus veterum testimoniis, quae aetatem tulerunt, etiamsi singulae res jam antiquitus a poetis cyclicis ac mythographis, haud parum immutatae atque ornatae, deinde vero a rerum scriptoribus in praescriptum quendam systematis ordinem re-

1) Ant. Rom. I, 17.

collectae atque aductae esse videntur, tamen in universum haec conicere possumus: ex Argolide, tamquam antiquissima Pelasgorum sede plerasque colonias profectas esse, idque imprimis in vicinam illam Arcadiam: Arcadia posteriori aetate praecipua Pelasgici nominis ditio in Peloponneso fuit: quod vero tum denique factum est, cum jam Pelasgi a feris ac fortibus Graecorum stirpibus oppressi, in frigidam illam ac montibus repletam regionem ex Argolide pleraque ex parte exacti essent. In Arcadia etiam antiquissimus ille Pelasgici populi Deorum cultus per longissimum temporis spatium pristinam suam integritatem ac puritatem conservasse videtur: quae res praecipua causa fuisse videtur, cur posteriori tempore et origo atque educatio multarum Graeciae divinitatum, et bella illa ac pugnae Gigantum, et multorum denique mythorum patria Arcadiae ejusque montibus a poetis rerumque scriptoribus vindicari solerent: Arcadia, pariter atque remota illa Thessalia usque ad recentiora Graecorum tempora, cum jam Graecia, quae media vocatur, atque orae Peloponnesi maritimae ex mythologicis illis, quibus obscuratae erant, tenebris emerisissent, praecipua Graecorum mythologiae ac theologiae sedes remansisse videtur: Arcadia etiam atque Thessalia per longius temporis in-

tervallum, quam quaevis alia Graeciae regio, praeter alia mythica nomina, ut Lycaonia, Gigantidis, et similia, Pelasgiae cognomen conservasse dicitur <sup>1)</sup>. Arcadia denique fuit, quae usque ad recentiora Graecorum historiae tempora obscuram illam ac reconditam soli naturam haud plane deposuerit: praesertim vero post Danaidarum adventum et nomen Pelasgicum, et memoria Pelasgici cultus deorumque genealogiarum ad Lycaci montis juga atque in Ladonis et Alpei convalles recessisse videtur.

Quae res praecipua causa fuisse videtur, cur jam antiqui rerum scriptores Arcadiam tamquam primam Pelasgorum patriam exhibuerint.

§. 36.

III. Ante migrationes illas Graecarum stirpium Pelasgi maximam Graeciae partem tenuisse videntur <sup>2)</sup>. Cum enim jam Graecorum, quorum primae civitates in Thessalia Phthiotide constitutae, ibique incrementa cepisse dicuntur, bellicosa agmina Pelasgos qui in fertillissimis Thessaliae regionibus consederant, partim expulissent, partim vero imperio suo subjecissent: reliqui Pelasgi, qui Graeciam in-

---

1) Cf. Eustath. ad Il. II, 603. Plin. H. N. IV, 10.

2) Thucyd. I, 5.

colebant meridiem versus sitam, ibi rerum principatum conservasse videntur. Homerus Pelasgos memorat in Creta insula <sup>1)</sup>, in Troade Asiae minoris, ubi *Δάρισσαν ἐριβώλαια* incolebant <sup>2)</sup>; novit etiam cultum, Jovis Pelasgici apud Dodoneos <sup>3)</sup>; sed praecipuam Pelasgici nominis memoriam servaverat *Πελασγικὸν Ἄργος* illud in Thessalia; incolae vero non Pelasgi sed Myrmidones, Hellenes et Achaei dicuntur <sup>4)</sup>.

In Homeri carminibus Graecorum ac barbarorum discrimen invenitur nullum. Thucydides Pelasgos barbaros proprie non vocat: cum vero eos Graecorum gentibus anteponat, id tacite concedere videtur. Hecataeus Milesius <sup>5)</sup> universam Peloponnesum ante Graecos Hellenes a barbaris fuisse habitatam retulit, et Strabo rutiocinatur ex iis, quae memoriae prodita erant, totam fere Graeciam antiquitus barbarorum sedem fuisse, quorum numero ponit Dryopes, Caucones, Pelasgos, Leleges, alios multos. Sed memorabile quidem est, Myrsilum

1) Odyss. XIX, 177.

2) Il. II, 841.

3) Il. XVI, 234.

4) Il. II, 681 seq.

5) Ap. Strab. VII. p. 521.

Lesbium, qui Pelasgorum historiam in systema redactam scripsisse fertur <sup>1)</sup>, eosdem non Pelasgos, sed Tyrrhenos nuncupasse; et praecedente Hellenico Lesbio <sup>2)</sup> sub hoc nomine etiam Etruscos intellexisse. Non ii quidem sumus, qui Pelasgos et Etruscos unum eundemque populum fuisse statuamus: sed memoratu tamen dignam est, auctores, quos modo laudavimus, Etruscorum populum, qui et lingua plane diversa a Graecorum sermone usus <sup>3)</sup>, et Deorum cultui longe alio, atque Graeci deditus fuisse dicitur, ad Pelasgici nominis gentes retulisse; ideoque Pelasgos ipsos etiam tacite prorsus diversos esse a Graecorum stirpibus statuasse: nisi hoc Etruscorum populi naturae atque indolis ignorantiae, qua plerumque laborasse videntur antiquissimi Graecorum scriptores, in universum tribuendum sit.

Neque vero praetereunda sunt Eustathii verba <sup>4)</sup>: *πλανῆται δὲ ἦσαν καὶ παραῖδες πανταχοῦ τῆς γῆς* (Pelasgi): eos igitur, ut nobis quidem videtur, cum insularum modo in variis regionibus consedissent, et ab aliis populis, a qui-

1) Dionys. Hal. I, 25.

2) Dionys. Hal. I, 28.

3) Dionys. Hal. I, 30.

4) Ad Hom. Il. II, 840.

bus circumdari solebant, et a Graecis quam maxime, propter propriam gentis indolem, imprimis quod ad linguam atque mores attinebat, facile distingui potuisse, donec nomen eorum plane ex hominum memoria evanisset.

§. 37.

Sed gravioris momenti Herodoti testimonium nobis videtur. Pelasgicum enim genus barbarum nominat, atque argumenta sua ex linguae ratione deducere conatur <sup>1)</sup>. Multa quidem contra haec objici possunt.

Quantopere enim lingua singularum stirpium unius ejusdemque generis et temporis ratione, et terrarum, quae interjacent, spatio, et soli denique, quod incolunt, propria natura immutetur, id quidem cuique cognitum est. Quibus rebus addas etiam magnam vim, quam saepissime propter mutuam commercium vicini populi exercere solent in dialectum singularum gentium. Sed Herodotus in ipsis illis regionibus itinera fecisse, et linguam Crestoniatarum, Placiensium, Scylacensium, comparasse dicitur: quibus maxime adductus, conjecturam suam, Pelasgos barbara lingua usos esse, denique proponere ausus est. Neque enim Crestoniata-

---

1) Herod. I, 57. 58.

rum, neque Placianorum lingua cum ulla eorum, qui circum habitabant, populorum loquendi forma conveniebat, inter ipsos vero Crestoniatas ac Placianos consentiebat: et manifesto apparebat, servasse utrosque eandem propriam Pelasgici generis sermonis formam ac naturam, quam secum attulerant, quum in illas, quas Herodoti temporibus incolebant regiones commigraverint.

Quae argumenta sufficere nobis videntur, ut Pelasgorum populum, a Graecis plane diversum, barbarum igitur, ut hoc Graecorum verbo utamur, fuisse statuamus. Quinam igitur fuerunt Pelasgi, cujusnam originis?

§. 39.

Antiquissimae in Graeciam immigrationes a duobus praecipue plagis locum habuisse videntur; a meridie Boream versus, atque a Borea meridiem versus. Sed loquamur hic primum de iis populis, qui a meridie profecti in Graeciam immigrasse videntur. Hac quidem populorum via Peloponnesus antiquissimos suos incolas accepisse videtur. Quod praesertim insularum, quibus repletus est Graecorum Archipelagus, summa vicinia effectum esse, probabile est. Nam. I. primum quidem satis constat ex veterum testimoniis, plures populos, qui marium littora incolebant, jam antiquissimis

temporibus modicas classes habuisse; constat etiam Phoenices, Cares, Cretenses, alios mare Aegaeum omnibus partibus pernavigasse: quae testimonia argumentari nos jubere videntur, jam ante eos populos, quos modo memoravimus, et quorum mentio fit in antiquissimis generis humani traditionibus, alios etiam, quorum nulla servata est memoria, iisdem naturae legibus parentes, maria navigiis, etsi *μονόζυλα* tantum fuerint quibus vel hodie Albaniae incolae utuntur, transire conatos fuisse. II. deinde vero natura totius maris Interni partis, quae a Sicilia inde insula orientem versus usque ad Syriae oram maritimam extenditur, ea esse videtur, ut vel exiguis navigandi auxiliis, nullaque maris peritia, diuturnae navigationes sine magno rerum discrimine suscipi possint: et historia gentium, quae in Archipelagi insulis consederant, ab antiquissimis inde temporibus, usque ad nostram aetatem, quae ad piraticam proclivae sunt, id quam maxime probat; deinde vero audacia illa, animusque intrepidus, quibus praecipue excellere solent insularum marisque littorum incolae, conjecturam nostram, mare Aegaeum jam antiquitus a populis rei maritimae haud prorsus imperitis, frequentatum fuisse, magis magisque confirmare videntur. Ita quidem, ut hoc tantum utamur, Polynesiae incolae, qui maximo

adluuntur Oceano, fragili navicula annuas navigationes in insulas suscipere dicuntur, quae plura stadiorum millia inter se semotae sunt: quibus itineribus nullo alio viae duce, nisi siderum motu ac situ utuntur.

§. 39.

Plures quidem populos novimus, qui remotissimis temporibus Peloponnesum tenuisse dicuntur, et quos mythicae quidem narrationes a Graecorum genere diversos fuisse referebant; posteriores vero rerum scriptores barbaros appellabant. Quorum numero Caucones, Leleges, Cares, alii fuisse dicuntur, quos a meridie inde in Peloponnesum immigrasse probabile videtur 1).

Sed Pelasgos etiam ad eandem populorum, qui a meridie in Peloponnesum immigraverint, categoriam referre non dubitamus, et hoc quidem praesertim propter has, quae sequuntur, causas:

§. 40.

Præcipuae enim rerum commutationes, quae

---

1) Herod. I., 171. Leleges et Cares unum eundemque populum fuisse putat; Strabo vero (VII. p. 321) Leleges socios atque inquilinos et commilitones *συνοίκους καὶ συστρατίους* Carum fuisse memorat.

antiquissimis temporibus in Argolide accidisse perhibentur, si ad rerumpublicarum, quarum prima fundamenta in Peloponneso jacta sunt, primordia spectemus, atque ea, quae de earum aetate ab antiquis scriptoribus tradita sunt, accuratius perpendamus, iisdem fere temporibus evenisse videntur, quibus in tota fere Aegypto et turbae exortae esse gravissimae, et rerum ordo immutatus quam maxime, et populi in exteras terras emigrationes locum habuisse dicuntur. Primum quidem aetas fabulosa illius Inachi in universum cum eo temporis momento convenire videtur, quo Pastores maximam Aegypti, quae intermedia atque superior vocatur, partem occupasse dicuntur: deinde vero Danaidarum adventus ad eadem fere tempora retrudi solet, quibus Hyksos a Tethmosi ex Aegypto exacti esse perhibentur Manethoni <sup>1)</sup>.

Qua de causa Pelasgorum etiam principatus in Argolide eidem temporis intervallo, quo

---

1) Ap. Joseph. contra Apion. I., 14. p. 444. Euseb. Chron. I., cap. 21. Haud supervacaneum esse ducimus memorare, nos computationes illas, quas accuratissimas de remotissimis illis temporibus Larcherus, Volneyus, Raoul-Rochetius aliique sibi instituisse videntur haud multo momenti facere.

Aegyptus sub Pastorum dominatione ingemuisse traditur, assignandus nobis videtur.

Quum enim prae cae regum familiae primo Pastorum impetui resistere nequaquam potuissent, et tota jam fere Aegyptus, quae media, atque superior vocatur, ab eorum agmine expugnata esset, magna populi pars, quae advenarum dominationem tolerare non poterat, partim Nilum sursum commigrasse, partim vero in paludosa atque inaccessa fere, quae inter varia fluminis ostia usque ad oram maritimam extenduntur loca confugisse, ibique primum plura oppida condidisse videtur <sup>1)</sup>. Quae regiones, etiamsi ante hoc temporis momentum haud plane ignota Phoenicum navigatoribus, tamen propter vastas solitudines parum frequentata fuisse, probabile est: nunc vero, cum jam variis locis, quae aquis non erant submersa, civitates constitutae essent, eaeque, aucta hominum multitudine a novis profugis, mox effloruissent, Phoenicum etiam mercatores eas regiones tamquam sedes mercium permutandarum saepius adire coeperunt. Quae nova rerum conditio magnam vim in mentes Aegyptiorum, exhibuisse videtur. Quum enim Aegypti, quae superior atque intermedia vocatur,

---

1) Cf. Hoeck's Creta I., p. 49.

ista sit ratio, ut poeta optimo jure praedicare potuerit:

Terra suis contenta bonis; non indiga mercis,  
Aut Jovis; in solo tanta est fiducia Nilo <sup>1)</sup>;  
ista loca, quae propiora sunt diversis Nili ostiis, nequaquam eodem fluminis beneficio fruuntur. Quam ob rem propter soli tenuitatem brevi advecticias merces incolae harum regionum requirerent necesse erat.

§. 41.

In hac vero septemtrionali Aegypti parte omnibus fere temporibus terra marique facilis fuit aditus peregrinis populis: in his etiam regionibus primae mercaturae sedes primaque emporia effloruisse, veri simile est: in his denique locis primum animi illa contumacia ac pervicacia, et mentis religiosa ista superstitio, quibus tam male audiebant Aegyptii apud veteres gentes, fracta atque imminuta <sup>2)</sup>; deinde vero, cum majora jam commercia cum Phoenicum atque Arabum mercatoribus facerent, et loca quidem mari proxima incoherent, et exterarum gentium odium illud atque aversatio, et maris ille horror, quorum causa saepissime

---

1) Lucan. Phars. VIII., 453.

2) Genes. 43, 32. Herad. II., 41. Strab. XVII p. 819.

perstringuntur Aegyptii ab antiquis scriptoribus paulatim deposita esse videntur <sup>1)</sup>. Sed praecipua consociatio Aegyptiis, inferiores Nili regiones accolentibus, cum Phoenicibus fuit, qui cauponandi et negotiandi studio, varia mercimonia aut importabant aut exportabant <sup>2)</sup>. Sed illa aetate, de qua nunc loquimur, Phoenices soli fere fuisse dicuntur, qui immensa maria transire auderent: nam commercii atque negotiationis amore ducti non solum ad varios populos maris Interni littora accolentes, sed etiam extra Herculis columnas ad ignotas usque Germanici atque Suevici maris regiones navigantes, ad extremas quasi mundi nationes onera perferrebant. Quo factum est, ut jam antiquissimis temporibus in varias Mediterranei maris insulas colonias deducerent, ac plerisque oris maritimis proprias haberent mansiones seu navalia (Stapelplätze), quibus in diuturnis navigationibus tamquam locis quieti ac recreationi aptissimis uterentur <sup>3)</sup>.

---

1) Diod. Sic. I., 67. Chaerem. ap. Porphy. de Abstin. IV., cap. 8. ἐν τοῖς ἀσεβεστάτοις ἐτίθεντο πλεῖν ἀπ' Αἰγύπτου. cf. Hoeck's Creta I. p. 49. Raoul-Roch. I., p. 67 seq.

2) Joseph. contr. Apion. I., cap. 12

3) De natura harum coloniarum cf. quae Hoe-

§. 42.

Ita quidem jam remotissimis temporibus Cyprus insula Phoenicum coloniis repleta fuisse videtur: nam et Veneris Uraniae cultus, auctore Herodoto <sup>1)</sup>, in hanc insulam, similiter atque ad Cytheros allatus erat a Phoenicibus ex Syria oriundis <sup>2)</sup>; et, teste eodem Herodoto <sup>3)</sup>, plures erant Cypriorum populi, inter quos etiam Phoenices memorantur; id, quod probari videtur a Diodoro Sic. <sup>4)</sup>, qui Cyprum insulam in novem partes, quibus singuli praerant reguli, dispersitam fuisse, refert <sup>5)</sup>. Iam in Homeri carminibus (Il. XI. 20) memoratur Cinyras quidam, qui sine dubio Cypriorum rex fuit; quod nomen saepissime occurrit in antiquissima Cypriorum historia: nam Cinyras etiam, te-

ckius (Creta I. p. 71 seq.) breviter retulit. cf. Beck's Weltgesch. I., p. 258 seq.

1) I., 105.

2) Veneris Uraniae fanum in Cythera insula, omnium quae apud Graecos Veneri dedicata fuerint antiquissimum, memoratur a Pausania III., 25. §. 1.

3) VII., 90.

4) XVI., 42.

5) Beck's Weltges. I., p. 901. seq. cf. et. Müller's Dorier I., p. 122

ste Apollodoro <sup>1)</sup>, Assyriorum rex fuit, qui coloniam in Cyprum dedaxisse Paphumque condidisse dicitur <sup>2)</sup>. Cinyras Veneris amasius memoratur Clementi Alex. <sup>3)</sup>.

Similiter jam remotissima aetate Rhodus etiam insula a Phoenicibus erat occupata: nam auctore Conone <sup>4)</sup>: τὴν δὲ Ῥόδον τὸ μὲν ἀρχαῖον λαὸς αὐτόχθων ἐνέμεινον, ἃν ἤρχε τὸ Ἰλιάδων γένος (pro Ἰλιάδων emendandum est Ἡλιάδων) οὗς Φοίνικες ἀνέστησαν καὶ τὴν νῆσον ἔσχον <sup>5)</sup>.

Sed ante Rhodum occupatam Ciliciae etiam ora maritima Phoenicum coloniis repleta esse videtur. Nam, ut haec tantum afferamus, Cilix, a quo Cilicia nomen accepisse, mythice traditur, filius fuisse Agenoris, viri Phoenicis perhibetur Herodoto <sup>6)</sup>.

Deinde etiam in Cariae oris Phoenicum

1) Bibl. III., 14. §. 5.

2) cf. Strab. XIV. p. 633.

3) Admon. ad. Gent. p. 21. cf. eund. p. 10 et 29. Clavier. ad Apollod. II. p. 468 seq. Paus. VIII. 5. §. 2. Plin. H. N. VII., 56.

4) Narr. 47.

5) Cf. Diod. Sic. V., 55 seq. Hoeck's Creta I., p. 74 et 555. Müller's Orchom. p. 116. Raoul-Roch. I. p. 537 seq. Beck's Weltgesch. I. p. 897 seq. cf. Strab. XIV., 554.

6) VII., 91. cf. Apollod. Bibl. III. I. §. 1.

coloniae, quae sine dubio ex opposita Rhodo insula erant profectae, jam antiquitus condisse videntur: quod maxime comprobari nobis videtur Veneris cultu, qui praecipue Cnidi atque in Co insula floruit <sup>1)</sup>. Quod ne Müllerri quidem sententiae repugnat, etiamsi Veneris cultum a Doriensium coloniis, ex Peloponneso profectis, quae eundem a Cytheris acceperant, in Cariam allatum esse contenderit <sup>2)</sup>. Nobis quidem probabilius videtur, Veneris cultum jam multo ante adventum Doriensium in Caria floruisse, quum etiam cultus forma ac natura, mollior illa atque magis effeminata, etiamsi Doricis institutis ac Dorica quadam asperitate haud parum jam immutata, originem orientalem proximam indicare videatur <sup>3)</sup>,

§. 43.

Sed prae ceteris regionibus insulae Graecorum Archipelagi a Phoenicibus frequentatae

- 1) Paus. I., 1. §. 3. Venerem eandem esse atque Astartem Syriorum Phoenices, auctore Eusebio (Praep. Evang. p. 38. C.) ipsi memorabant.
- 2) Dacier I., p. 406. cf. et p. 105 seq. Conon. narrat. 47.
- 3) Cf. Rühle v. Lilienstern, zur Geschichte der Pelasger und Etrusker, p. 138. Hoeck's Creta I. p. 75.

fuisse videntur, quippe quod propter summam singularum insularum viciniam major navigationi facilitas, majorque navigantibus securitas praeberetur. Quum enim propter navium fragilitatem ac navigandi imperitiam plerumque secundum oras maritimas navigare consueverint, singulis insulis, quae sereno dio semper fere in conspectu teneri possunt tanquam pharis ac diversoriis utentes, facile ad Graeciae usque continentem atque remotissima Thraciae littora pervenire <sup>1)</sup> poterant.

Qua de causa nobis probabile esse videtur quam maxime, jam antiquissimis temporibus singulos etiam Graeciae atque Thraciae orae maritimae tractus nonnullasque Archipelagi insulas tanquam negotiationis ac mercaturae sedes a Phoenicibus fuisse frequentatas; quarum maxime auxilio inter varias regiones mari interno adjacentes continua negotia mercatoria instituta fuisse videntur <sup>2)</sup>.

- 1) Cf. Joseph. contra Apion. I., 12. Rühle v. Lilienst. I. 1. Ita quidem ab Idae montis jugis, quibus Creta insula scinditur, non solum Cythera, Melos ac plurimae aliae Archipelagi insulae, sed etiam Laconiac Pentedactylon, ac Rhodus insula Asiaeque minoris littora facile conspici possunt, v. Hoeck's Creta I. p. 4.
- 2) Cf. Thucyd. I., §. Herod. I., 1. Quod ad

§. 44.

Sed propter bonos navium receptus ac portuum commoditatem ab antiquis scriptoribus imprimis praedicatur totus orae maritimae circuitus, qui sinum ambit Argolicum atque Hermonicum.

Quae res mirabiliter cum antiquissimo illo mytho de prima Pelasgorum in Peloponneso civitate congruere videtur. In Argolide primum homines in communem unius civitatis societatem congregati esse dicuntur: in Argolidem et meliores vitae rationis initia, et deorum hominumque cultus exordia Graeci referre solebant.

§. 45.

Quum vero Pastorum in Aegypto dominatio, quorum praecipua sedes Memphis fuisse dicitur, indies cresceret, atque Aegyptii, quae in paludosis Nili regionibus conederant, magis premerentur, saepius in exteris terras emigra-

---

mythicam de Cadmo atque Europa narrationem attinet, cf. praesertim ea quae Buttmannus, *Mythologus* II., p. 171 seq. egregie disputaverit. Cf. et Sickler's *Cadmus* p. 11. 2.

- 1) Strab. VIII., p. 509 seq. cf. *Iliad.* II. v. 560. Hughe's *Travels* I., p. 200. 214. Clarke's *Trav.* T. VI. p. 452. 486.

rent, necesse erat: quae coloniae partim terra in Libyam atque regiones, quae ab Aegypto meridiem versus sitae sunt, partim mari Boream versus profectae esse videntur. Quae tamen septentrionem versus emigrationes, cum Aegyptii propter silvarum inopiam majora navigia haberent nulla, Phoenicum maxime ope effectae esse videntur.

Qua ratione Argolidem etiam antiquissimis temporibus a Phoenico-Aegyptiacis colonis qui primi Pelasgi, ut infra videbimus, fuisse videntur, occupatam fuisse, verisimile est. Quam conjecturam etiam propria Pelasgici populi indoles injicere atque confirmare videtur.

§. 46.

Omnes enim mythicae de Pelasgis traditiones consentiunt, eos agriculturae deditos fuisse, et ad eorum nominis primordia initia etiam melioris vitae rationis referri solent. Illuc quidem primum spectare videtur mythus ille de Pelasgo Cererem Argos venientem hospitio excipiente, quem Pausanias retulit <sup>1)</sup>. Pelasgus, Triopae filius, conditor fuisse templi Cereris Pelasgidis perhibetur ab eodem auctore <sup>2)</sup>.

---

1) I., 14. §. 2.

2) Paus. II., 22. §. 2.

Idem Pelasgus primus agriculturam invenisse dicitur Scholiastae ad Euripidis Orestem <sup>1)</sup>. Pelasgum etiam melioris victus cultusque Arcadibus auctorem fuisse, praeter Pausaniam <sup>2)</sup> testatur etiam Scholiast. ad Eurip. Orest. v. 1642, qui postquam Pelasgum Arestoris filium, Jasi nepotem, autochtonem Argivum dixisset, haec addit: ἔλθων εἰς Ἀρκάδιαν, Θηριώδεις ὄντας τοὺς Ἀρκάδας εἰς τὸ ἡμεροτέρων μετέβαλε. Pelasgos etiam tamquam populum agriculturæ peritum ac studiosum, praecedentibus aliis auctoribus, describit etiam Dionysius Hal. <sup>3)</sup>.

Quae Pelasgici populi indoles melius adumbratur ab Hecataeo <sup>4)</sup>, qui Athenienses, postquam agrum, quem sub Hymetto situm Pelasgis pro mercede muri acropoli olim exstructi habitandum dederant, bene cultum atque florentem, quum antea miser ac nullius pretii fuisset, vidissent, invidia atque desiderio hujus regionis captos, Pelasgos ex ea eiecisse tradidit.

Agrorum etiam dimensio tamquam antiqua

1) V., 930. πρῶτος ἀγροῦ κατασκευὴν ἐξεῦρεν.

2) VIII., 1. §. 2.

3) Ant. Rom. I., 23 et saepius alibi.

4) Ap. Herod. IV., 157.

Pelasgorum inventio indicari videtur a Scholiast. ad Apollon. Rhod. (Ἀκαίνα Πελασγίς) <sup>1)</sup>.

Quam late autem Pelasgorum agriculturæ fama apud veteres percrebuerit, Oenomai etiam versus apud Eusebeum <sup>2)</sup> testari videtur, qui Pelasgicum solum totius terræ optimum prae-dicat (Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν οὐδας ἄμεινον) <sup>3)</sup>, quo referendum etiam putamus mythum illum, quem Asius refert, qui nigram terram peperisse Pelasgum memorat <sup>4)</sup>.

§. 47.

Exposita igitur breviter hac Pelasgici populi indole atque natura, nunc quidem anti-

1) Cf. Argon. Apoll. Rhod. III. v. 1523. Scholiast. ad. l. l. ita disserit: Ἀκαίνα δὲ ἐστὶ μέτρον δεκάκουν. Θεσσαλῶν εὖρεμα ἢ ῥάβδος ποιμενική, παρὰ Πελασγοῦ εὖρημένη. Pelasgos et Thessalos ab antiquis scriptoribus saepissime commisceri, quando de septemtrionalibus Graeciae populis loquantur, notissimum est. Qua de causa facile fieri potuit ut Pelasgorum etiam inventa atque insinua posteriori aetate Thessalis vindicarentur; cf. et. Callimach. ap. Schol. ad Apoll. Rh. l. l.

2) Praep. Evang. V., 29. p. 226.

3) Cf. Thucyd. II., 17 et Schol. ad Apoll. Rhod. I., 480.

4) Ap. Paus. VIII., 1. §. 2.

quissimorum, qui Argis olim regnasse dicuntur, regum genealogia, pertractanda nobis videtur. Quam vero primordia tantum Argolidis historia perscrutari instituimus, in quibus explorandis nullo alio duce, nisi mythorum diluculo, uti possumus: in hoc nostro opusculo tantum de antiquissimis Argorum regibus, ab Inacho fabuloso illo urbis conditore initio facto dicendum putamus. Quod si igitur mythicas illas de urbe traditiones accuratius consideremus, nominaque singulorum regum diligentius perpendamus, genealogiam eorum in duas partes aptissime dividere possumus: 1) primum quidem in reges peregrinae originis, 2) deinde vero in reges Graecae originis.

Quod ad primam regum genealogiae partem attinet, ad hanc tantum Inachum, Phoroneum atque Apim adnumeramus. De his tribus regum nominibus omnes fere veteres auctores consentiunt <sup>1)</sup>. Originem Inachi nomi-

1) Apollod. Bibl. II., 1. §. 1. Enseb. Chron. I. cap. 27. Tzet. ad Lycophr. v. 177. Rhianus ap. Steph. Byz. s. v. Ἰνᾶς. Tatian. Orat. ad Gr. 59. cf. Clem. Alex. Strom. I., p. 323. A. et P. 335. C. — Pausan. in Genealogia regum Argivorum (II, 16. §. 1) nullam mentionem facit Apidis.

nis nos omnino nescire, palam profiteri non erubescimus. Ereretus quidem <sup>1)</sup> etymologicis maxime adductus rationibus, originem ejus Chananiticam fuisse idque fortem hominem significare demonstrare conatur: quae tamen nominis interpretatio nobis parum certa, etiamsi nequaquam incredibilis esse videtur <sup>2)</sup>.

§. 48.

Sed uno ore antiqui scriptores Inachum nominant Tethyis et Oceani filium <sup>3)</sup>. Oceani vero nominis origo nobis quidem plane Aegyptiaca esse videtur. In Coptorum lingua Ucame (Oukame) fluminis vocabalum est: Nilus vero, tanquam omnium fluminum maximus ita κατ' ἐξοχήν appellatur. Oceanus vero ejusdem vocabuli forma a Graecis immutata esse videtur. Quae res maxime confirmari videtur Diodori Siculi auctoritate: οἱ γὰρ Αἰγύπτια νομίζουσιν Ὀκεανὸν εἶναι τὸν παρ' αὐτοῖς ποταμὸν Νεῖλον <sup>4)</sup>,

- 
- 1) Mém. de l'Académ. des Inscr. Tom. XLVII., p. 36.  
 2) Jablonskius Juachi nomen non melius ac certius quam ex Aegyptiorum lingua explicari posse statuit; sed quonam modo, id quidem non videmus. Jablonsk. Panth. Aegypt. II. p. 5.  
 3) Cf. et Sophocl. ap. Dionys. Hal. I., 25.  
 4) Bibl. I., 12.

atque vel auctoris, quem modo laudavimus, aetate, Aegyptiorum sacerdotes Nilum ex Oceano, quem orbem terrarum circumfluere putabant, initia sua capere affirmabant <sup>1)</sup>: quem mythum tamen jam recentioribus temporibus, cum jam inde a Psammetichi regis aetate majora facerent negotia cum Graecorum gentibus, a Graecis recepisse videntur <sup>2)</sup>.

Sed omnino mythum illum de Oceano fluvio, terrarum orbem circumfluente antiquissimum esse, affirmare non dubitamus: nam et fabula illa, quae Inachum Oceani filium fuisse referebat, Inachidarum stirpis originem Aegyptiacam indicare videtur, et vocabulum Oceani, quo Nilum fluvium designabant Aegyptii, simul cum antiquissima illa in Argolide colonia in Graeciam immigrasse probabile est <sup>3)</sup>. Accedit vero, quod omnino mos ille Graecorum, quo origo multorum heroum multarumque nympharum singulis fluminibus ac fontibus vindicatur, aperte fabulas Aegyptiorum, qui principes gentis suae Deos Nilo flumine prognatos esse affirmare consueverant, redolere videatur <sup>4)</sup>.

1) Bibl. I, 37.

2) Cf. et. Aeschyl. *Izzr.* v. 495.

3) Cf. Rühle v. Lilienst. *Zur Geschichte der Pelasger* u. s. w. p. 157.

4) Cf. Jablonsk. *Panth. Aeg.* II. p. 5.

Eusebius <sup>1)</sup> initium mythici Inachi regni ad annum retrudit millesimum octogesimum ante Olympiadem primam, i. e. ad annum millesimum octingentesimum quinquagesimum septimum a. Chr. n.; Larcherus vero <sup>2)</sup> ad annum millesimum nongentesimum octogesimum sextum <sup>3)</sup>.

§. 49.

Sed multo magis, quam Inachi genealogia, Phoronei, secundi Argorum regis, nomen Aegyptiacam originem manifestare videtur. Phoroneus enim Pheronem illum Herodoti <sup>4)</sup>, atque Pharaonem Sanct. Scripturae in memoriam revocat. Pharaonem enim commune Aegyptiorum sermone regis vocabulum fuisse, cuique cognitum est <sup>5)</sup>. Quae res conjecturam nobis injicere videtur, Aegyptiorum regum gentem in Argolidem olim im-

1) Chron. I, c. 27.

2) Chron. d'Hér. p. 312.

3) Sed quam incerta sit illorum temporum ratio, cf. eundem Eusebium. Chr. libr. II. init. edit. Aug. Maji et Zohrabi, Mediol. 1818. Cf. et. Acusilai fragm. ed. Sturz. p. 217 seq.

4) II, 111.

5) Cf. loca, quae ap. Jablonsk. Voces Aegyptiacae in Opusc. Tom. I. p. 574 seq. recollecta sunt.

migrasse. Arnobius <sup>1)</sup> Phoroneum nominatim Aegyptium aut Meropem nominat <sup>2)</sup>).

Acusilaus <sup>3)</sup>, quem Plato secutus esse videtur in Timaeo <sup>4)</sup>, atque Pausanias <sup>5)</sup> Phoroneum primum inter homines fuisse referunt: atque Hellenicus in Phoronide eum patrem mortalium dixisse fertur <sup>6)</sup>).

Sed idem Acusilaus <sup>7)</sup> Phoroneum filium fuisse Inachi, qui primus Argorum rex fuerit, contendit. Fratrem Phoronei mythographi Aegialeum proferebant, qui auctore Istro <sup>8)</sup> in tota regione, quae inter Buprasium atque Sicyonem sita est, regnasse dicitur <sup>9)</sup>, etiamsi Ca-

1) Adv. Gent. VI., p. 191.

2) Cf. et Petit-Radel Mém. sur l'origine Grecque du fondateur d'Argos, in Mém. de l'Inst. Roy. 1815. p. 31. seq.

3) v. Pherecyd. fragm. cum fr. Acusil. ed. Sturz 1824. p. 218.

4) Tom. III., p. 22. A.

5) II., 15. §. 5.

6) Cf. Clem. Alex. Strom. I. p. 321. A. Enseb. Pr. Ev. X., 12. p. 497. D. Tatian. adv. Gent. 60.

7) Ap. Syncell. Chronogr. p. 64.

8) Opere, quod de Aegyptiorum coloniis conscripisse fertur, v. Steph. Byz. s. v. Αἰγιαλός.

9) Cf. Apollod. Bibl. II, 1. §. 1. Pariter quidem Clem. Alex. Strom. I. p. 321. Aegialeum aequalem reddit Phoroneo.

stor <sup>1)</sup> Aegialeum septem hominum aetatibus ante Inachum Argivum vixisse refert.

§. 50.

Phoroneus primus Deorum cultum Argivos docuisse fertur: is enim fuisse dicitur, qui primus et templa fabricaverit, et altaria diis posuerit, et sacrificia eis obtulerit <sup>2)</sup>: quo etiam spectare videtur quae Epiphanius <sup>3)</sup> memoravit, qui mysteria ac traditiones de diis apud Graecos ab Inachi temporibus initium habuisse, atque ab ipso Inacho de Aegyptiorum regione in Graeciam translata esse refert.

Ad Phoronei etiam regnum et prima civitatis instituta, et legum origo referri solebat. Ita quidem perhibet Pausanias <sup>4)</sup> Phoroneum, Inachi filium, primum fuisse, qui vagos ac dispersos antea homines, atque seorsim habitantes, in communem unius civitatis societatem congregaverit; quibuscum consentire videtur Eusebius <sup>5)</sup>: πρώτος λέγεται νόμους καὶ κριτήρια παρ' Ἑλλήσι θεσθεῖν <sup>6)</sup>.

1) Ap. Euseb. Chron. I., 25.

2) Clem. Alex. Admonit. ad Gent. p. 28. Arnob. advers. Gent. VI. p. 191.

3) Contra haeres. lib. I. p. 5.

4) II., 15. §. 5.

5) Chron. lib. II. p. 272.

6) Cf. Clem. Alex. Adm. ad Gent. p. 67. C. Steph.

§. 51.

Quam igitur res ita sese habeat, neminem jam nos inventuros putamus, qui Inachum atque Phoroneum singulos homines, qui mythicis istis temporibus Argorum imperium tenuerint, fuisse credat. Qua de causa nequaquam nobis absurdam esse videtur, quando, priusquam meliora edocti simus, sub Inachi nomine sacerdotum familiam, quae cum Aegyptiacis colonis Argolidem occupaverit; sub Phoronei vero denominatione regum gentem, quae per magnam annorum seriem rerum summam tenuerit, latere statuamus. Ab hoc vero fabuloso Inacho Inachus amnis, quo Argivorum planities irrigatur nomen suum accepisse videtur.

Quae vero Inachi tanquam nominis collectivi natura pluribus fabulis, quae ab antiquis scriptoribus commemorata fuisse dicuntur, confirmari videtur. Ita quidem Phegeus Phegiae, Arcadiae urbis, conditor, Inachi filius fuisse fertur <sup>1)</sup>. Similiter Mycene, Arestoris, qui

---

Byz. s. v. Φορωνικόν et Schol. ad. Eurip. Orest. v. 1247. Theocrito auctore, Idyl. XXV., v. 200 incolae a Phoroneo Φορωνεῖς appellati esse dicuntur.

1) Charax ap. Step. Byz. s. v. Φήγεια. Schol. ad Eurip. Orest. v. 1247.

pluribus hominum aetatibus post Inachum vixisse perhibetur, uxor filia fuisse fertur ejusdem Inachi <sup>1)</sup>.

Difficilior autem videtur explicatio ejus mythi, quo Phoroneus cum Inacho, Cephisso, et Asterione fluvii arbiter fuisse dicitur inter Neptunum et Junonem de Argolidis imperio disceptantes; qui cum Iunoni terram adjudicassent, Neptunum aquam illis omnem admisse <sup>2)</sup>.

Qui mythus etiamsi a mythographis atque recentioribus poëtis immutatus atque exornatus fuerit, tamen primaria ejus fundamenta fama antiqua niti videntur. Argivi soli natura antiquissimis temporibus ea fuisse videtur, ut planities Argolica, cum et paludibus abundaret, et maris undis exposita esset, saepius aquis submergeretur. Quod etiam Aristoteles confirmare videtur, qui de Argolidis regione ita loquitur: ἡ μὲν ἀργὴ γέγονε καὶ ξηρὰ πάντων τῆς δὲ τὰ τότε διὰ τὸ λιμνάζειν ἀργὰ νῦν χρήσιμα γέγονεν <sup>3)</sup>.

1) Magnae Eoeae ap. Paus. II., 16. §. 3.

2) Paus. II., 15. §. 5 ubi templum Neptuni Prosclystii seu Inundatoris ab Argivis erectum memoratur. Eandem contentionem Scholia etiam Aristidis referunt, v. Creuzeri Symbolik II., 587. Siebel. ad Paus. II., 15. §. 5.

3) Meteor. I., 14. Cf. Léake's Travels in the Morea T. II. p. 366. seq.

Qua de causa, liceat nobis hanc conjecturam interponere, jam Inachidas canalium structurae notitiam in Argolidem invexisse, atque ea aetate, qua Phoronidarum gens Argorum imperium tenuisse dicitur, structis aggeribus, canalibusque effossis, Argivorum agri maximam partem aptam redditam agriculturae, et maris vim atque impetum plerumque cohibitos esse. Coloni scilicet, qui Delta olim Aegyptiacum incolabant, similem atque cognatam quasi soli naturam in Argolide invenerunt!

§. 52.

Inachus atque Phoroneus Argivum imperium auspicati esse dicuntur annis circiter centum et viginti <sup>2)</sup>: qua temporum ratione confirmari adhuc videtur sententia nostra, qua sub mythicis istis Inachi atque Phoronei nominibus non aetatem tantum duorum singulorum regum, sed definitum quoddam temporis spatium, cui Inachidae ac Phoronidae proprium quoddam ac certum signum seu typum impresserint, intelligenda esse putamus: quod etiam tertii Argo-

---

1) v. Euseb. Chr. I. p. 150 et II. p. 270. Syncell. p. 125 seq. cf. Larcher. Chron. d'Hérod. p. 312. Eusebius (I. p. 152) et Clemens Alex. (Strom. I. p. 321. A.) Phoroneum aequalem Attici illius Ogygi exhibent.

rum regis nomine haud parum corroborari, mox videbimus.

§. 53.

Liberi enim Phoronei ex nymphea Laodice fuisse perhibentur Apis et Niobe <sup>1)</sup>.

Quod si vero accuratius Apidis ac Niobae nominum naturam consideremus, historica eorum fides ac certitudo, ac singuli eujusdem regis notio plane evanescere videtur. Multo enim probabilius fore arbitramur: quando sub iis antiquas denominationes divinitatum, quarum cultus symbolicus a peregrinis istis colonis in Argolidem invectus sit, intelligendas esse statuamus.

Est quidem memoratu dignum, Apollodorum <sup>2)</sup> Apim, a quo Peloponnesus Apia nomi-

---

1) Apollod. Bibl. II, 1. §. 1. Tzet. ad Lycophr. 177. ἐκ Τηλοδίκης νύμφης.. Aelian, de Nat. Anim. lib. XI, cap. 10. Apim filium exhibet Jús, Inachi filiae. Apud. Euseb. (Chron. lib. II. p. 272) Argivorum regum genealogia confusa est quam maxime: nam modo Phoroneum Inachi ac Niobae, modo Apim Jovis ac Niobae filium fuisse refert. Cf. et Clem. Alex. Strom. I. p. 322 seq. Paus. (II, 16. §. 1) et Schol. ad Eurip. Orest. (v. 1247) nullam faciunt Apidis mentionem.

2) II, 1. §. 1.

nata esse a mythographis narratur <sup>1)</sup>, supremum obisse diem, nullis relictis liberis; atque post mortem sub Sarapidis nomine inter divos relatum fuisse memorare; quod testimonium confirmatur Aristeae Argivi auctoritate <sup>2)</sup>, qui Apim Sarapin appellatum esse, atque eum esse, quem Aegyptii colant, refert <sup>3)</sup>.

Sed antiquam Argivi atque Aegyptiaci deorum cultus consociationem argumentari etiam licet ex Aristippi auctoritate <sup>4)</sup>, qui Apim, Argorum regem, Memphin aedificasse contendit: quod etiam Eusebii testimonio <sup>5)</sup>, Apim, quum fratrem Aegialeum regem praefecisset Achajae, cum populo in Aegyptum profectum esse, confirmatur <sup>6)</sup>.

- 
- 1) Cf. Aeschyl. *Ἰκερ.* v. 260. Ἀπὴν γαίην, ap. Homerum. Paus. II., 5. §. 5 totam regionem intra Isthmum Apiam nuncupatam esse ab Apide, Sicyoniae rege, refert.
  - 2) Ap. Clem. Alex. Strom. I. p. 322.
  - 3) Cf. et. Euseb. Chron. II., p. 270.
  - 4) In primo Arcadicorum ap. Clem. Alex. I. I.
  - 5) Chron. II., p. 274.
  - 6) Cf. Syncell. Chronogr. p. 118. Epiphan. contra haeres. lib. I. p. 5. Apollodorus I. I. Apim propter tyrannicum ingenium, ac saevam animi indolem a Telxione et Telchine interemptum esse refert. Cf. Etym. M. s. v. Ζευξιδία et Augustin. de Civ. Dei. lib. XVIII., cap. 5.

§. 54.

Mutuus vero ille religiosarum notionum nexus, qui antiquissimis temporibus inter Aegyptios atque Argivos exstitisse videtur, manifestior fit Lactantii <sup>1)</sup> et Hygini <sup>2)</sup> auctoritatibus, qui Memphis urbis conditorem Epaphum fuisse referunt. Epaphus vero, auctore Herodoto <sup>3)</sup>, Graeca denominatio Apidis fuit <sup>4)</sup>. Quae antiqua idearum permutatio, quae inter Aegyptum atque Argolidem fuisse videtur, haud parum confirmatur mytho illo, quo Epaphus, Jūs filius, Memphin, Nili filiam in matrimonium duxisse, atque Aegypto imperasse traditur <sup>5)</sup>.

§. 55.

Clemens vero Alexandr. quasi ad corroborandam istam mythorum congeriem <sup>6)</sup> Sa-

- 
- 1) Ad Stat. Thebaid. IV. v. 737.
  - 2) Fab. 149. 275.
  - 3) III., 27 seq. Plutarch. de Isid. et Osirid. Cap. 37. p. 499. Wyttemb. cf. Aelian. de Nat. Anim. XI., 10.
  - 4) v. Syncell. Chron. p. 121. 126. cf. Müller's Orchom. p. 110. Raoul-Roch. I. p. 161 seq.
  - 5) Apollod. Bibl. II., 1. §. 4. cf. et. Aeschyl. *Ἰκερ.* v. 586.
  - 6) Admon. ad Gent. p. 32. A.

rapin idem esse atque Osirapin, quod compositum sit ex Osiride atque Apide idque factum esse propter funeris societatem narrat <sup>1)</sup>; quod Clementis testimonium Plutarchi etiam verbis, qui Osiridem eundem esse atque Sarapin tradidit, confirmatur <sup>2)</sup>.

Idem vero Plutarchus plerosque sacerdotum Osiridem atque Apim in idem recidere retulisse ac sub Apidis nomine intelligendum esse formosam animae Osiridis imaginem docuisse (*ὡς εὐμορφον εἰκόνα καὶ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἄπιν*) <sup>3)</sup> testatur. Apis vero symbolum fuit sacrosanctum Nili fluminis ejusque fertilitatis <sup>4)</sup>; Nilus vero sub Osiridis forma colebatur: qua cum re Eusebius <sup>5)</sup> etiam convenit, qui Apim, Argivorum regem, apud Aegyptios primum deum habitum esse, quem quidem Se-

- 1) Nymphodorus (ap. Clem. Alex. Strom. I. p. 332. D. cf. Plat. de Is. et Osis. Cap 29. p. 484) aliam vocabuli etymologiam subjicit, cujus origo vero Graeculorum commentum redolet quam maxime.
- 2) Plut. de Isid. atque Osir. cap. 28. p. 484. Wytli.
- 3) Plut. de Is. et Os. cap. 29. p. 485. cf. c. 35. p. 492.
- 4) Aelian. de Nat. Anim. XI., 10. cf. Jablonsk. Panth. Aeg. T. II. p. 215.
- 5) Chron. II., p. 271.

rapin vocant, refert <sup>1)</sup>. Quae omnia satis nobis demonstrare videntur, cultum praecipuae Aegyptiorum divinitatis Argis haud incognitum fuisse, atque symbolum hujus divinitatis sub fabulosi illius Apidis regis nomine facile agnoscere posse.

§. 56.

Quod manifestius nobis apparebit, quando variam atque confusam mythorum congeriem, qui de Jo circumferri solebant apud veteres, accuratius perlustraverimus. Jo fuit, Hesiodo atque Acusilao auctoribus <sup>2)</sup>, Pirenis filia; secundum Apollodorum vero <sup>3)</sup> et Pausaniam <sup>4)</sup>, Jo Jasi, Triopae filii, filia fuisse dicitur; Hesyehius denique (s. v. Ἰώ) eandem Criasi filiam exhibet.

Sed multo majoris momenti esse nobis videntur Herodoti <sup>5)</sup> et Castoris <sup>6)</sup> testimonia, qui Jo Inachi filiam fuisse referunt; et Pausanias ipse <sup>7)</sup> pariter atque Eusebius <sup>8)</sup> et Epi-

- 1) Cf. Syncell. Chr. p. 149. A.
- 2) Ap. Apollod. II., 1. §. 5.
- 3) Bibl. II., 1. §. 1.
- 4) II., 16. §. 1.
- 5) I., 1.
- 6) Ap. Apollod. Bibl. II. 1. §. 5.
- 7) I., 25. §. 1 et III. 13. §. 7.
- 8) Chron. II., p. 279.

phanus <sup>1)</sup> Jo Inachi filiam memorant; Hyginus vero <sup>2)</sup> Jo filiam fuisse Inachi atque Argiae refert, etiamsi hunc Inachum Triopis filium nominat <sup>3)</sup>; quibus auctoribus addas etiam Ovidium <sup>4)</sup>, Aeschylum <sup>5)</sup>, et Pherecydem <sup>6)</sup>.

Quae testimonia primum quidem mythicam Jūs personam Phoronidarum temporibus vindicare nos jubent: etiamsi Clavierus, praecedentibus Valckenaero et Wesselingio <sup>7)</sup> Apollodori atque Pausaniae auctoritates defendere conetur <sup>8)</sup>: deinde vero Jūs nomen ejusdem na-

- 
- 1) Contr. haeres. I., p. 5.
  - 2) Fab. 145.
  - 3) Cf. Clem. Alex. Strom. I., p. 322. C.
  - 4) Metamorph. I., v. 585 seq.
  - 5) Prometh. v. 590 et 663.
  - 6) Ap. Apollod. Bibl. I. I. Argus Panoptes custos Jūs, Inachi filius fuisse dicitur.
  - 7) Ad. Herod. I., 1.
  - 8) Ad Apollod. II., p. 203. Quod ad Hesiodi atque Acusilai testimonia attinet, cf. eund. Clav. I. I. p. 199 et 204. Praetereamus opiniones Larcheri (Chron. d'Hér. p. 518 seq.) qui praecedentibus Scaligero (ad Euseb. Chron. No. 481) et Burmanno (ad Ovid. Metam. I. v. 583) duas statuit Jūs; et Raoul-Rochettii, qui Jūs nomen apud Inachidarum familiam frequens fuisse putat.

turae fuisse, atque Apidis regis; ideoque symbolicae naturae esse videtur.

§. 57.

Jo enim sacerdos Junonis fuisse dicitur, cujus Jupiter amore captus, ut puellam contra uxoris iram tueretur, eam in vaccam transmutasse dicitur: quae cum Juno comperisset, enixis precibus, virum adiens, vaccam muneris loco sibi impetrasse, ejusque custodiae Argum Panopten praefecisse: Mercurius vero Jovis jussu, Argo insidiatus, eum interemisse: quod indignata Juno majoribus persecutionibus ac miseriis illam obruere conata esse; quas ut effugeret Jo in Jonicum mare se projecisse, postque multos viae errores in Aegyptum pervenisse ibique divinos honores sub Isidis nomine assecuta esse fertur <sup>1)</sup>. Qui mythus etiamsi a recentioribus poëtis haud parum exornatus atque amplificatus fuerit, tamen ad antiquissima Cycli epici tempora referendus esse videtur: nam et in Homeri jam carminibus Ἐρμῆς Ἀργειφόντης saepius commemoratur; et a poëtis

- 
- 1) Apollod. Bibl. II. I. §. 3. Aeschyl. *Incid.* v. 291 seq. cf. Hom. Schol. ad Odys. XVI., 471. Strab. XIV. p. 673. XVI. p. 750. Etyim. M. s. v. Ἐρμῆων.

tragicis fabulae argumentum saepius tractatum fuisse constat <sup>1)</sup>.

§. 58.

Herodotus de Jo narrationem jam historiae vindicare videtur, cum loco, quo antiquissimas inter Graecos ac Persas inimicitiarum causas diligentius exquirere studet, Phoenices, postquam merces suas venum exposituri Argos apulissent cumque mulieres, quorum numero Jo etiam, regis filia, fuerit, ad mare venissent dumque merces, quae maxime animos illarum advertissent, mercarentur, impetum in illas fecisse, et cum aliis multis Jo etiam rapuisse; deinde vero soluta nave Aegyptum versus vela fecisse, referat <sup>2)</sup>. Quae narratio aperte recentiora tempora redolere, et Graecis ante bella Persica plane ignota esse videtur: nam auctores ejus Persas affert <sup>3)</sup>. Idem enim ipse alteram etiam narratiunculam, quam ex Phoenicibus audiisse se perhibet, et quae magis cum antiquissimo illo mytho convenire videtur, refert <sup>4)</sup>: eam nimirum, qua Jo Argis cum nau-

---

1) Cf. et. Aeschyl. *Ætrod.* v. 571 seq. v. Pherecydis fragm. ed. Sturz p. 161.

2) Herod. I., 1.

3) I., 2.

4) Herod. I., 5.

clero concubuisse, quumque se gravidam sensisset, veritam parentum iram, cum Phoenicibus ipsam volentem in Aegyptum esse profectam narrabant <sup>1)</sup>.

§. 59.

Ex his vero, quae modo attulimus, veterum testimoniis satis apparet omnes scriptores in eo convenire, quod Jo nympham in Aegyptum aufugisse referunt: id, quod maxime argumentari nos jubet, jam remotissima illa aetate nexum quendam atque consociationem Peloponnesi atque Aegypti religionum exstitisse: neque omnino sub Jūs nomine ac mytho singula quaedam mulier historica, sed antiqua utriusque regionis divinitas, ejusque variae incarnationes intelligendae esse videntur: id quod confirmari videtur Clementis Alexandrini auctoritate, qui Isidem eandem fuisse atque Jo refert <sup>2)</sup>: quod etiam Eusebius <sup>3)</sup> testatur, qui Jo Inachi filiam Aegyptios sub nomine Isis Phariae colere narrat.

Isis vero Aegyptiaca apud Aegyptios vim designabat telluris, symbolum igitur ejus fertilitatis erat, ac sub duabus formis colebatur:

---

1) Cf. Plut. de Herodoti Malignit. p. 856 D. seq.

2) Strom. I., p. 322.

3) Chronic. 2. p. 270.

aut enim caelestis erat, quam ipsi lunam, aut vero terrestris quam terram nuncuparunt <sup>1)</sup>; lunam autem vernaculo Aegyptiorum sermone Joh designabant <sup>2)</sup>.

Jo vero Argivorum etiam antiqua dialecto lunam designasse, testatur Eustathius <sup>3)</sup>: *Ἐνθα βούς ἦν ἐν ἀγάλματι τῆς Ἰούς, ἣτοι Σελήνης. Ἴω γὰρ ἡ σελήνη κατὰ τὴν τῶν Ἀργείων διάλεκτον* <sup>4)</sup>.

Symbolum vero Isidis apud Aegyptios vacca fuit, et vaccae quidem sacrae fuerunt Isidi, quas nefas erat immolare <sup>5)</sup>, quod antiquissimum illum mythum de Jo in vaccam mutata in memoriam revocat <sup>6)</sup>. Isidis vero Aegyptiacae imaginem eodem modo pictam fuisse atque Jūs Graecorum, forma nimirum muliebri, bubulis instructa cornibus, testes sunt Herodotus aliique <sup>7)</sup>.

- 1) Plut. de Isid. et Osir. cap. 28. p. 484, et cap. 32. p. 489. Euseb. Praep. Evang. III., p. 115. cf. I., p. 27.
- 2) Jablonsk. Panth. Aegypt. II. p. 4. cf. I. p. 64.
- 3) In Dionys. Perieg. v. 94.
- 4) C. et Johannis Melalae testimonium ap. Jablonsk. Pant. Aeg. II. p. 6. Epiphan. contr. haeres.
- 5) Herod. II. 41. IV. 186. Aelian. de Nat. Anim. X., cap. 23 et 37.
- 6) Cf. Paus. III. 18. §. 7.
- 7) Herod. II., 41. Diodor. Sic. I., 11. Aelian. de

§. 60.

Apollodorus <sup>1)</sup> Apim, ut jam supra vidimus, a Telxione et Telchine, inita conjuratione necatum esse refert. Telchinem Clemens Alexand. <sup>2)</sup> tertium vocat Sicyoniae regem. Eusebius vero <sup>3)</sup> et Orosius <sup>4)</sup> Telchines et Caryatas Phoroneo bellum intulisse testatur. Quinam fuerint Telchines, non locus quidem est in hoc opusculo nostro, ut accuratius exquiramus <sup>5)</sup>.

§. 61.

Sed probabile nobis videtur quam maxime, sub finem Phoronidarum regni, gentem quandam Graeco-Illyricae originis in Peloponnesum immigrasse, atque, expugnata jam Sicyoniae fertilissima regione, etiam in Argolidis planitiem irruisse, ubi post diuturna cum Phoronidis bella summae rerum potita esse videtur. Ex hoc enim, etiamsi plane incerto, temporis

nat. anim. X., 27. Fortasse etiam a Sophocle in Inacho; cf. Dionys. Hal. I. 25.

- 1) II., 1. §. 1.
- 2) Sirom. I., p., 321. A.
- 3) Chron. II. p. 273.
- 4) Hist. I.
- 5) Cf. praes. Sainte-Croix Recherch. sur les mystères du Paganisme, Tom. I. p. 97 seq. Lobckium de Bello Eleusinio, I. p. 11 seq. Hoeck's Creta I., p. 545 seq.

momento series illa incipit Argivorum regum, quorum nomina Graecam redolent originem, inter quos primus Argus memoratur, Niobae atque Jovis filius <sup>1)</sup>, etiamsi Augustinus <sup>2)</sup> eum Apidis filium nuncupat; fratrem vero Argi Acusilaus exhibebat Pelasgum <sup>3)</sup>. Argi vero nomen nihil aliud nisi Argolici soli naturae denominatio, quam novi advenae fertilissimae, atque optime cultae regioni dederint, esse videtur. Pelasgum vero, quod ex Ἄργος et πέλω compositum est, planitiei incolas designasse probabile est. Nam conditio priscorum colonorum ea fuisse videtur, quae Γελέοντων apud Athenienses, seu Πενέστων apud Thessalos fuit. Quae de causa, cum Graeci illi advenae loca occupassent, quae propter eētiam ac montuosam naturam, majorem praebant securitatem, priscos illos colonos, qui planas plerumque atque inferiores incolebant regiones, ab advenis illis Pelargos seu Pelasgos, i. e. agrorum incolas appellatos fuisse verisimile est quam maxime. Quod etiam confirmari videtur Hellenici testi-

1) Apollod. II. 1. §. 1. Paus. II., 16. §. 1. Euseb. Chron. I., p. 130. Pherecyd. frag. ed. Sturz. p. 161.

2) De Civit. Dei. XIII., 6.

3) Apollod. I. 1. Tzet. ad Lycophr. 177.

monio <sup>1)</sup>, quo arcis Argorum Larissae conditor Pelasgus fuisse dicitur: Quam penestarum conditionem Pelasgicae gentis testantur plerique veteres auctores <sup>2)</sup>. Sed quinam fuerint Graeci illi advenae, et cujusnam stirpis, id quidem altera opusculi nostri parte accuratius exquirere propositum nobis est.

§. 62.

Sed diu conservatae sunt res istis temporibus gestae memoria hominum: mox vero propter inconstantiam atque fragilitatem omnium quae mortalium sunt, partim oblivioni sunt datae, partim confusae atque conurbatae ad posteritatem pervenerunt; postremo denique, cum Graeci jam majori litterarum notitia uterentur, haud exigua illarum pars, quae Libitinam forte vitaverat, variis poësis generibus consecrata et concelebrata est. Saepenumero enim apud veteres cyclica carmina, quae Φορῶνις, Ἰναχίς, et similiter inscripta erant, commemorantur. Quorum argumentum, etiamsi in universum ex antiquissimis illis rerum narrationibus, quales usque ad recentiora Graeciae

1) Ap. Scholiast ad Hom. II. III., 75.

2) Hecataeus ap. Herod. VI., 137. cf. Herod. VII. 161. VIII., 44. Thucyd. IV., 109. II., 17. Stephan. Byz. s. v. Χίος. et alii.

tempora sive a singulis civitatibus tamquam sacerrimae rerum remotissima illa aetate gestarum reliquiae, sive in templorum sepimentis (*περιβόλοις*) a singulis sacerdotum familiis conservatae erant haustum atque desuntum, tamen ex ingenio cujusque poetae cyclici amplificatum atque exornatum, eademque de causa corruptum priscaque sua forma ac natura fraudatum ad logographorum aetatem pervenisse nemo est, qui neget <sup>1</sup>).

- 
- 1) Laudatur Phoronis a Clemente Alexandr. (Strom. I. p. 321 *ὁ τῆς Φορωνίδας ποιητής*. Idem Strom. I., p. 349 tres affert ex Phoronide versus). Phoronidem incerti auctoris, ex qua Scholiast. ad Apollonium Rhod. (I. v. 129) septem versus servavit, Wüllnerus (de Cyclo Epico Poëtisque cyclicis commentatio philol., Monasterii 1825 p. 47) non pro cyclico habet: Car. Guil. Müllerus vero (de Cyclo Graecorum Epico et Poëtis Epicis, Lips. 1829) similiter atque Salmasius (in Solim. p. 595. B.) carmen illud inter cyclica fuisse opinatur (p. 28). Laudatur etiam Phoronis a Strabone (X. p. 472. *ὁ τὴν Φορωνίδα στέψας κ. τ. λ.*) et ap. Etymol. M. P. 339.

## T H E S E S.

### I.

Omnes colonias, ex Aegypto aliisque regionibus, meridiem versus sitis, in Graeciam olim profectas, plane denegare, ut Car. Othofr. Müllerus voluit, arbitrarium nobis esse videtur.

### II.

Multi veterum scriptorum loci, imprimis vero Homericorum carminum, melius ac facilius explicari poterunt, quando major Albaniae incolarum morum atque linguae cognitio nobis praesto erit.

### III.

Majora carmina historica, ex quibus Livius aliique rerum scriptores hauserint, ante Naevium atque Ennium apud Romanos existisse, historicis argumentis demonstrari non potest.

### IV.

Argumenta orationum, quae ab antiquis rerum scriptoribus historiis insertae sunt, magni sunt ad collustrandam veterum historiam momenti.